DE HONORII PAPAE EPISTOLARUM CORRUPTIONE.

SCRIPSIT

CASP. JOS. MART. BOTTEMANNE,

DECANUS ET PAROCHUS AD S. JOANNIS BAPTISTAE IN SOETERWOUDE,
OLIM S. THEOL. PROF. IN SEMINARIO WARMONDANO
DIOECESEOS HARLEMENSIS.

BUSCODUCI,
apud HENRICUM BOGAERTS.
MDCCCLXX.

DE

HONORII PAPAE

EPISTOLARUM CORRUPTIONE.

HOC OPUSCULUM,

COMMUNIS ERGA INFALLIBILEM CHRISTI VICARIUM

DEVOTIONIS TESTIMONIO,

DEDICAT

AUCTOR.

De Honorii Papae epistolarum corruptione.

Diu multumque inter auctores disputatum fuit de causa Honorii Papae, id est, de sententia in ipsum lata per Concilium Generale quidem sextum, Constantinopolitanum vero tertium. Aliqui enim illius sexti Concilii acta iis in locis, in quibus de Honorii condemnatione sermo est, vitiata esse, cum doctissimo Cardinali Baronio propugnarunt. Alii vero ipsas, in quas lata fuit Concilii sententia, Honorii literas corruptas esse contenderunt. Alii tandem, tum Honorii literas, tum acta sexti Concilii integra aut existimantes aut supponentes, Honorium vere condemnatum esse dicunt ut Monothelitarum haereseos *fautorem*, ipsum vero neque haereticum fuisse, neque tamquam haereticum damnatum, neque adversus fidem moresque ex cathedra, ut vocant, quippiam definiisse.

Haec autem tertia sententia, quae, utpote validissimis stabilita rationibus, satis communis evasit, cum principiis quidem Catholicis recte componi potest; attamen notam quandam inurit Honorio, quasi iste, non satis provide et circumspecte agendo, haeresi fomenta dederit. Istam ab eo abstergere maculam cupiens, in hac dissertatione, vernacula, id est, Hollandica lingua primum conscripta, nunc vero Latine

reddita, ostendere conabor, supra memoratam secundam sententiam, quae ipsas Honorii literas a Monothelitis haereticis corruptas affirmat, veram esse. Scio equidem, hanc sententiam hodie antiquatam videri atque ut futilem fere ab omnibus rejici; verum haec ipsa mihi ob firmas, quas afferam, rationes tam certa est, atque, hac admissa, Monothelismi historia, alioquin in multis ambigua, tam clara atque ab omni parte tam lucida redditur, ut credere mihi liceat, opinionem istam a suis patronis non, uti oportebat, fuisse expositam ac propugnatam. Idipsum colligo ex ipsis contra epistolarum corruptionem allatis difficultatibus, quas omnes, priusquam alios ejusdem corruptionis propugnatores novissem, eorumque scripta et argumenta perlegissem, ita solvere potui, ut recte expositae secundae sententiae nullatenus adversentur.

In ipso jam disputationis limine dicendorum seriem et methodum servandam paucis indicare liceat. Historiam Monothelismi, ex qua sententiae nostrae argumenta et rationes desumuntur, compendiose quidem, attamen, ubi fieri potest, ipsis scriptorum illius temporis verbis enarrandam suscipio, quatuor capitibus distinctam; quorum primum aget de haereseos *initiis*, alterum de *Ecthesi* Heraclii, tertium de *Typo* Constantis, quartum denique de *sextae Synodi Generalis actis*. Literae vero conscriptae, acta, ceteraque historica documenta, ubi necesse vel utile visum fuerit ad causam Honorii illustrandam, integre lectoris benevoli oculis atque judicio subjicientur.

CAPUT PRIMUM.

De Monothelismi exordiis.

Sergius, Patriarcha Constantinopolitanus, Syrus genere et parentibus Jacobitis natus, ut testatur Theophanes, si Monothelismi non primus auctor, certe hujus haereseos praecipuus fuit propagator. Plura ipse, antequam haeresis publice prodiit, occulta adhibuit conamina, ut eam multorum animis inculcaret. Id discimus ex S. Maximo disputante cum Pyrrho. Quum enim Pyrrhus objecisset, S. Sophronium de unica vel duplici Christi Domini operatione primam litem movisse, respondit S. Maximus: »Dic »mihi, per veritatem ipsam oro, cum Sergius ad »Theodorum Pharanitanum scripsit, misso etiam li»bello, quem esse dicit Mennae, per Sergium Ma»caronam Episcopum Arsinoes, hortans eum, ut, »quid sentiret de una in eo libello operatione et »una voluntate, aperiret, et rescripsit approbans eas, »ubi tunc erat Sophronius? Aut cum Theodosiopoli »ad Paulum Monoculum et Severi sectatorem scripsit »[scilicet Sergius], misso etiam ad eum libello »Mennae et Theodori Pharanitani, cum sua appro»batione? Aut ubi erat [Sophronius], quando ad »Georgium cognomento Arsam Paulianistam scripsit

»[Sergius] rogans, ut mitteret sibi auctoritates de una »ipsorum operatione, inseruitque epistolae, facere »etiam se (his auctoritatibus) unionem ecclesiae cum »eis? hanc autem epistolam beatus Joannes Papa »Alexandrinus manu ab Arsa abstulit... Aut quando »ad Cyrum Episcopum Phasidis rescripsit de una »operatione et duabus, ab eo rogatus, misso etiam »ad eum libello Mennae, quem diximus?" [1])

Huic Sergii ad Cyrum epistolae occasionem dedit Imperator Heraclius prohibens Arcadium Cypri Archiepiscopum, quominus duplicem in Christo diceret operationem. Ab Imperatore enim, qui et ipse haeresim a Sergio acceperat, hac de re interrogatus Cyrus primum haesitavit, praecipue propter verba S. Leonis Papae, »duas operationes cum alterutrum [alterius] »communione manifestissime proclamantis" [2]), et dubium suum Sergio proposuit. Respondit Sergius: »in »sanctis Conciliis nullam motionem factam, nullam»que definitionem prolatam esse de quaestione hac", scilicet, »utrum oporteat duas praedicare operationes, »an unam dicere in Domino operationem"; S. Cyrillum Alexandrinum »*unam vivificam operationem*" Christi dixisse, similiter et Mennam Constantinopolitanum »*unam voluntatem et unam operationem*" Christi Domini adstruxisse; haereticos quidem Severianos vehementer improbasse S. Leonis Papae epistolam, in qua haec verba leguntur: *Operatur enim*

1) *Disput. S. Maximi cum Pyrrho*; Labbe V, 1817.
2) *Epist. Cyri ad Sergium*; Labbe VI, 949.

utraque forma cum alterius communione, sed nullum sanctorum illam contra haereticos defendentium Patrum dixisse, »*quod in praesenti libro duas operationes Leo sanctissimus asseruisset*"; quinimmo addit: nullum SS. Patrum »usque hodie duas operationes in Christo Deo nostro reperimus adstruxisse. »Si quis vero de solertioribus ostendere valuerit, »quemquam probabilium... Patrum nostrorum... »duas operationes in Christo dicere tradidisse, opportunum est per omnia sequi. Omnino enim necesse »est, non solum secundum sensum sequi sanctorum »Patrum dogmata, et eisdem vocibus uti cum illis, »nihilque penitus innovare" [1]).

Ultima haec verba Sergius haeretica astutia adjecisse videtur, timens forsitan, ne Cyrus, qui Catholicam S. Leonis Magni sententiam objecisset, impia ipsius conamina sive ad Imperatorem, sive ad Sacram Sedem deferret. Utcumque sese haec res habet, Sergius in haeresim traxit Cyrum, illumque, ad Patriarchalem Alexandriae Sedem anno 630 promotum, in propaganda nova doctrina cooperatorem habuit maximum.

Etenim Cyrus, conventione cum Theodosianis haereticis die quarto Nonas Maji anni 633 inita, eosque in gremium Catholicae Ecclesiae, uti ajebat, recipiens, die tertio Nonas Junii novem publice capitula promulgavit, quorum septimum, utpote anathematizans

---

1) *Epist. Sergii ad Cyrum Episcopum Phasidis*; Labbe VI, 916, 917.

eum, qui non confiteretur »*eumdem unum Christum* »*et filium, operantem Deo decibilia et humana* UNA »DEIVIRILI OPERATIONE, *secundum sanctum Dionysium*" [1]), haeresim Monothelitarum continebat. Gratulabantur plurimum de hac conventione Theodosiani, dicentes non se Chalcedonensis Concilii decreta, sed econtra Catholicos suam Eutychianam doctrinam suscepisse.

Sed huic septimo capitulo nondum promulgato jam obstitisse S. Sophronium, docet nos S. Maximus, haec scribens ad Petrum Illustrem: »Divinus ergo »magnusque Sophronius, tunc Alexandriam veniens, »mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipsi »Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capi»tula) lugubre quiddam et ingens vociferatus, fontes »emittebat lacrymarum, illum fervide obsecrans, »supplicans, expostulans, in pavimento ipsius vesti»giis provolutus, quo nihil horum super ambonem »contra Catholicam Dei Ecclesiam praedicaret: quippe »cum haec liquido impii essent Apollinarii dogma»ta" [2]). Non solum autem obsecrando apud Cyrum egisse Sophronium, discimus ex ipso Cyro scribente ad Sergium, obtulisse Sophronium »*testimonia diversorum sanctorum Patrum*" [3]); quod propterea bene notandum, quia Sergius, uti postea videbimus, ad

---

1) *Conc. Later. Secret.* III; Labbe VI, 175. — *Conc. Sexti act.* 13; Labbe VI, 956. S. Dionysius non dixerat „*unam*", sed „*novam quandam* deivirilem operationem". Cf. *Conc. Later. Secret.* III, l. c. 182.

2) *Epist. S. Maximi ad Petrum Illustrem*; Labbe V, 1767.

3) *Conc. Later. Secret.* IV; Labbe VI, 263.

Honorium Papam scribit, adhortatum se fuisse Sophronium, ut testimonia proferret sanctorum Patrum, »*illum autem hoc facere penitus non valuisse*".

Neque per preces neque per argumenta allata quidquam effecit Sophronius. De facta conventione quasi de glorioso triumpho Cyrus per epistolam certiorem reddidit Sergium, qui vicissim laudibus extollere Cyrum pro tanto tamque magnifico opere per responsum non omisit [1]). Interim vero Sophronius Constantinopolim profectus est ad ipsum Sergium, quem, ut ait S. Maximus, »admonuit cum humili»tate, quae ejus habitum decebat, ad vestigia ejus »provolutus, Christi Dei passionibus vivificis, quae »omnem supplicationem continebant, commemoratis, »et obtestans ne vocem haereticorum, probe olim a »sanctis Patribus superioribus exstinctam, renovaret" [2]). Nihil hisce motus est Sergius, sed contra, juste metuens ne per Sophronium, labente et in finem properante hoc eodem anno 633 ad Sedem Hierosolymitanam provectum, apud Sacram Sedem quasi novae haereseos auctor et propagator accusaretur, eum per sequentes fraude et mendaciis refertas literas, ad Honorium Papam datas, praevenire studuit.

Exemplar epistolae Sergii Constantinopolitani ad Honorium Papam Romanum:

---

1) *Epist. Cyri ad Sergium*: *Conc. Sexti act.* 13; Labbe VI, 952. — *Epist. Sergii ad Cyrum*: *Conc. Later. Secr.* III; Labbe VI, 175.

2) *Disputatio S. Maximi cum Pyrrho*; Labbe V, 1817.

In tantum vobis sanctissimis consonanter in omnibus unanimitate spiritus constringimur, ut studeamus omnium consiliorum nostrorum et actionum vos sacratissimos habere praesidentes: et nisi plurimum locorum distantia sejungeret, hoc utique quotidie gereremus, vestrae honorandae unanimisque fraternitatis munito, muratoque nosmetipsos circumsepientes consultu: attamen quoniam nobis etiam sermo, atque absque labore litera, quod studemus, impartit, confestim ea pro quibus hoc scribimus enarramus.

Ante aliquod certum tempus, cum adversus Persas a Deo confirmatus dominus noster et magnus victor promovisset exercitum, propter certamina a Deo sibi creditae Christo amabilis reipublicae, et ad partes Armeniae provinciae pervenisset, unus ex principibus impiae partis Severi execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens, ad ejus pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda haeresi proferens et hoc profecto dumtaxat satisfaciendo; in quibus piissima ejus ac regalis magnanimitas (cum ceteris enim donis Dei, etiam divinorum dogmatum locupletari scientia meruit) dum redarguisset, atque depompasset pravam ejus impietatem, profanis ejus astutiis sanctae nostrae Ecclesiae, ut verus ejus propugnator, recta atque immaculata e diverso protulit dogmata; inter quae et unius operationis Christi veri Dei nostri mentionem fecit. — [de literis, quas ipse Sergius ad Paulum hunc Monoculum conscripserat, altum callide facit silentium.]

Post aliquod vero tempus idem a Deo confirmatus Imperator in provinciam Lazorum adveniens, recordatus est disputationis, quam, sicut diximus, fecerat ad Paulum illum haereticum, in praesentia Cyri sanctissimi, tunc quidem ejusdem Christo amabilis Lazorum provinciae metropolitanam Sedem tenentis, nunc autem magnam Alexandriam regentis. Praedictus igitur sanctissimus vir, his auditis, ejus serenitati respondit, nescire subtiliter, utrum unam an duas operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. Ergo per jussionem ejus pietatis, per literas

propriis interrogavit nos praedictus sanctissimus vir, utrum unam operationem an duas in Salvatore nostro Christo necesse sit dicere : et si quosdam noscamus sanctorum ac beatissimorum Patrum, unam dicentes operationem. Unde nos, quae nostrae erant scientiae, per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennae sanctissimi quondam Patriarchae hujus a Deo conservandae regiae urbis, porrectum ab eo hic praesenti Vigilio sanctae memoriae praedecessori sanctitatis vestrae, habentem et diversa testimonia paterna de una operatione et una voluntate Salvatoris nostri Christi veri Dei nostri. Nihil tamen proprium penitus in hujusmodi nostris rescriptis promulgavimus, sicut suppetit nosse vos sacratissimos et unanimes, relegentes eorum quae missa sunt exemplaria. Et silentium quidem ex illo tempore hujusmodi suscepit capitulum.

Quia igitur ante parvum tempus, cooperante gratia Dei, *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, pio zelo fortissimi ac invictissimi magni Imperatoris excitatus Cyrus, sanctissimus Alexandriae magnae civitatis Patriarcha et communis frater noster et consacerdos Dei, amabiliter et modeste adhortatus est eos, qui in magna civitate Alexandrina, Eutychetis et Dioscori, Severi quoque et Juliani Deo odibilium haeresi languerunt, ad Catholicam Ecclesiam accedere. Et post multas disputationes et labores, quos cum nimia prudentia et saluberrima dispensatione in hac causa impendit, hoc quod festinabat, per supernam gratiam ordinavit. Facta sunt inter utrasque partes dogmatica quaedam capitula, in quibus omnes (qui antea quidem in diversas portiones divisi fuerant, proavosque sibi Dioscorum atque Severum sceleratos haereticos inscribebant) coadunati sunt cum sanctissima ac sola Catholica Ecclesia, et unus grex Christi veri Dei nostri, omnis Christo amabilis Alexandriae populus factus est, et pene universa cum eis Aegyptus et Thebais et Libya et ceterae Aegyptiacae dispositionis regiones, quas olim con-

siderabant, ut diximus, in innumerabilem haereseon multitudinem discissas, nunc autem beneplacito Dei et studio praedicti sanctissimi Alexandrinorum antistitis, unum labium facti sunt omnes, una vox et in unitate spiritus recta Ecclesiae dogmata confitentur. Ex his autem, quae dicta sunt atque stabilita, unum existit capitulum de una operatione Christi magni Dei et Salvatoris nostri.

His ita provenientibus, Sophronius venerabilis monachus, qui (ut nunc ex uno auditu didicimus) Hierosolymorum praesul est ordinatus (necdum enim hactenus ejus ex more synodica suscepimus), apud Alexandriam tunc temporis positus cum praefato sanctissimo Papa, quando, sicut diximus, admirabilem illam circa eos, qui dudum haeretici fuerant, Dei beneplacito unitatem componebat, atque cum eo de eisdem capitulis pertractabat, adversatus est et contradixit ad unius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri. Praenominato autem sanctissimo Papa praesertim testimonia ei quorundam sanctorum Patrum nostrorum proferente, dispersim in quibusdam opusculis suis unam operationem asserentium: ad haec quoque et ex abundanti inquiente, quod multoties sancti Patres nostri, ut lucrarentur plurimarum animarum salutem, dum talia emergerent capitula, Deo gratis dispensationibus ac placitis usi fuisse videntur, nihil de subtilitate rectorum Ecclesiae dogmatum exagitantes: et dicente, quod oporteat utique etiam in praesenti, dum tantorum millium populorum salus prae manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod, sicut dictum est, etiam a quibusdam sacris Patribus vox hujusmodi dicta est, nihilque de hoc laedatur rectae fidei ratio; — memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit.

Quia igitur pro hoc cum literis ejusdem sanctissimi comministri ad nos conjunxit, de hoc quoque etiam apud nos sermonem movendo insistens, ut de talibus adimeretur capitulis post factam unitionem vox unius operationis,

durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum et valde onerosum, quando hoc resolvere evertereque erat futurum quidem omnem illam concordiam atque unitatem, quae bene fuerat effecta, tam apud Alexandriam magnam civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quae nullo tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini atque laudabilis patris nostri Leonis, aut sancti et magni atque universalis Chalcedonensis Concilii mentionem facere, nunc vero praeclara et magna voce in divinis missarum arcanis hoc praedicantes?

Multis igitur a nobis de hoc motis sermonibus ad praenominatum venerabilem Sophronium, postremo adhortati eum sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter doctores confitemur, et quorum dogmata legem sanctae Dei cognoscant Ecclesiae, duas, nominatim et ipsis verbis, operationes in Christo dicendas tradentia; ille autem hoc facere penitus non valuit.

Nos vero considerantes, incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, et scientes quod semper ex hujusmodi decertationibus haereseon dissensiones effectae sunt, necessarium judicavimus, omne studium ponere ad sedandum atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, et ad saepedictum sanctissimum Alexandriae Patriarcham scripsimus, ut postquam unitatem cum his, qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit, de cetero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro, magis autem (sicut sancta et universalia tradiderunt Concilia) unum eundemque Filium unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, operatum confiteri tam divina quamque humana, et omnem Deo decibilem et homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise procedere et ad unum eundemque dirigi; eo quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur et perturbare aures

quorundam, suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum: quod non est umquam, nec fiat. Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum edita. Insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tamquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati et resistente, et perinde duo contraria volentes introducantur: quod impium est. Impossibile quippe est, in uno eodemque subjacenti duas simul, et erga hoc ipsum contrarias, subsistere voluntates.

Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifeste instruit, quod numquam intellectualiter animata Domini caro separatim et ex appetitu proprio, contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi, naturalem motum suum effecit, sed quando, et qualem, et quantam ipse Deus Verbum volebat. Et, ut planius dicatur, quemadmodum corpus nostrum regitur et ornatur et disponitur ab intellectuali et rationali anima nostra: ita et in Domino nostro tota humana ejus conspersio, ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, deimobilis erat, secundum Nyssenum Gregorium, dicentem contra Eunomium ita: Secundum quod Deus Filius, impassibilis utique est et immortalis. Si qua autem passio de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profecto, quae suscipiebat passionem, hujusmodi operatus est. Operatur quippe vere deitas per corpus, quod circa ipsam est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.

Hanc igitur, ut dictum est, contentionem incipientem accendi videntes, necessarium judicavimus, attritas potius sanctorum Patrum voces et synodice definitas semper sequi, et neque quae raro a quibusdam Patribus dicta sunt, et non circa haec intentionem habentibus, quasi planam et inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam et

legem per omnia dogmaticam reducere, quale est et quod de una operatione ab eis dictum est; — neque iterum, quae nullatenus dicta sunt a probabilibus Patribus, nunc vero a quibusdam proferuntur, duas inquam operationes, tamquam dogma ecclesiasticum proferre. Et ad ultimum stetit ac placuit, quatenus praedictus Sophronius venerabilis nullum sermonem de cetero de una sive duabus operationibus movere debeat, sed ei sufficiat praefata cautaque ac trita sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina.

His itaque contentus saepe nominatus venerabilis vir, et haec custodire certificans, petivit nos etiam per epistolam de his ei praebere responsum, quatenus hujusmodi epistolam, ut ait, ostendat his, qui forsitan interrogare eum de praedicta quaestione voluerint, quod et alacriter egimus. Et ille quidem in his hinc enavigavit.

Nuper autem piissimus et a Deo coronatus dominus noster apud Edessenam demorans civitatem, pios ad nos apices fecit, praecipientes, ut paterna illa testimonia defloraremus, quae continentur in libro dogmatico, sicut dictum est, facto a sanctae memoriae Menna ad sanctissimum Vigilium de una operatione et una voluntate, et haec a Deo instructae ejus serenitati dirigere deberemus: quod et ad effectum perduximus. Nos autem, quae dudum mota sunt, memoria retinentes, et tumultum, qui ex hujuscemodi motione coepit, scientes, suggessimus ejus piissimae serenitati per mediocrem nostram suggestionem, et scripta ad excellentissimum sacellarium imperialem consequenter hujus capituli omnem subtilitatem, horumque quae a nobis de hoc actitata sunt, et quod non oporteat de hujusmodi inquisitione perscrutari, sed permanere in attrita Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur de hujusmodi quaestione, et confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, eundem operari divina et humana, et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo, sicut jam sumus effati, inseparabiliter atque indivise omnem divinam atque humanam operationem proce-

dere. Hoc namque nos Leo Dei portitor instruit, manifeste perhibens: Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet. In quibus rescriptum piae jussionis ab ejus mansuetissima suscepimus fortitudine, quae a Deo conservandam ejus serenitatem condecent, continentem.

His igitur omnibus principio ita provenientibus, rationabile simul et necessarium judicavimus de his, quae partim memorata sunt, cognitionem dare vestrae fraternae atque unanimi beatitudini per exemplaria, quae a nobis directa sunt, et adhortamur vos sacratissimi haec omnia legere; et Deo placitam ac plenissimam caritatem, quae in vobis est, nunc quoque sequentes, si quid amplius minusve inveneritis, hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras una cum vestra optabili sospitate, quaeque super his vobis fuerint placita, significare [1]).

Praetermissis quae in hanc Sergii haeretici epistolam, perfidia et mendaciis plenam, notari possent, responsum Honorii Papae, uti in Concilii sexti actione XII legitur, statim subjicimus.

Scripta fraternitatis vestrae suscepimus, per quae contentiones quasdam et novas vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quendam, tunc monachum, nunc vero ex auditu Episcopum Hierosolymitanae urbis constitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriae antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex haeresi praedicantem. Qui denique ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, querelamque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quae a vobis fuerat instructus, paginalibus sibi syllabis

1) Labbe, VI, 917—928.

reserari; quarum literarum ad eundem Sophronium directarum suscipientes exemplar, et intuentes, satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Nos enim in quo percepimus, oportet ambulare.

Enimvero duce Deo perveniemus usque ad mensuram rectae fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Jesum Christum Mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Deo naturaliter unita, eundemque operatum humana, ineffabiliter atque singulariter assumpta carne discrete, inconfuse atque inconvertibiliter plena divinitate; et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est, et carneus effectus, plene Deus et homo; passiones et opprobria patitur unus Mediator Dei et hominum in utrisque naturis; Verbum caro factum et habitavit in nobis, ipse Filius hominis de coelo descendens, unus atque idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus majestatis, dum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, et non de coelo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice (nam per se Veritas in Evangelio ita inquit: *Nullus ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, filius hominis, qui est in coelo*); profecto nos instruens, quod divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur conjungi: ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri.

Cui Apostolus concinens, ad Corinthios ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent*; dum profecto divinitas

nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti; sed propter ineffabilem conjunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco et ubique Deus dicitur pati, et humanitas ex coelo cum divinitate descendisse. Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa: illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata.

Christus enim Dominus, in similitudine carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit, et de plenitudine ejus omnes accepimus; et formam servi suscipiens, habitu inventus est ut homo, quia sine peccato conceptus est de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatae naturae. Carnis enim vocabulum duobus modis sacris eloquiis boni malique cognovimus nominari, sicut scriptum est: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Et Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et rursum: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Et video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivum me trahentem in legem peccati, quae est in membris meis;* — et alia multa hujusmodi in malo absolute solent intelligi vel vocari. In bono autem ita, Esaia propheta dicente: *Veniet omnis caro in Hierusalem, et adorabunt in conspectu meo.* Et Job: *In carne mea videbo Deum.* Et alias: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et alia diversa.

Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus, sed *venit quaerere et salvare quod perierat*, id est, vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis. Et si quidem scriptum est: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris;* — et: *Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater;* — et alia hujusmodi, non sunt haec diversae

voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus praeferat voluntatem.

Via igitur regia incedentes et dextrorsum vel sinistrorsum venatorum laqueos circumpositos evitantes, ne ad lapidem pedem nostrum offendamus, Idumaeis, id est, terrenis atque haereticis propria relinquentes, nec vestigio quidem pedis sensus nostri terram, id est, pravam eorum doctrinam, omnimodo atterentes, ut ad id, quo tendimus, hoc est, ad fines patrios pervenire possimus, ducum nostrorum semita gradientes, et si forte quidam balbutientes, ut ita dicam, nisi sunt proferentes exponere, formantes se in specimen nutritorum, ut possent mentes imbuere auditorum, non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas neque evangelicae vel apostolicae literae, neque synodalis examinatio super his habita, visae sunt terminasse, nisi fortassis, sicut praefati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quae ad ecclesiastica dogmata trahi non debent, quae unusquisque, in suo sensu abundans, videtur secundum propriam sententiam explicare. [Nota vocem Graecam *energias* et barbaram hujus periodi dictionem.]

Nam quia Dominus Jesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenae sunt sacrae literae luculentius demonstrantes. Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare.

Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum, ejusque Sanctum Spiritum, sacris literis percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum est enim: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic ejus non est.* Et alibi: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Si enim divisiones operationum sunt multae, et has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur, quanto magis capiti nostro Christo Domino haec possunt plenissime coaptari, ut caput et corpus unum sit perfectum, ut profecto occurrat, sicut scriptum est, *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*? Si enim in aliis, id est, in membris suis, Spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur et sunt: quanto magis per semetipsum Mediatorem Dei et hominum plene ac perfecte, multisque modis et ineffabilibus confiteri nos communione utriusque naturae condecet operatum?

Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare, illa videlicet refutantes, quae quidem novae voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur; praecaventes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuo renovent quaestionum; simpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jesum Christum unum operatorem divinae atque humanae naturae; electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, ociose negotiantes et turgidi adversus nos insonent vocibus ranarum philosophi, quam ut simplices et humiles spiritu populi Christiani possint remanere jejuni.

Nullus enim decipiet per philosophiam et inanem fallaciam discipulos piscatorum, eorum doctrinam sequentes; omnia enim argumenta scopulosa disputationis callidae atque fluctivaga intra eorum retia sunt collisa.

Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter praedicamus, hortantes vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa et unitate Catholica praedicetis. Subscriptio. Deus te incolumem custodiat, dilectissime atque sanctissime frater [1]).

Epistolam hanc circa annum 634 scripsit Honorius; nam Sophronius, quem *ex auditu Episcopum* vocat, exeunte anno 633 Patriarcha Hierosolymitanus creatus fuit. Postea et alteram ad eumdem Sergium scripsit, cujus fragmenta tantum exstant actione decima tertia Concilii sexti; quae similiter hoc loco subjungimus.

Honorii Latina epistola cum interpretatione sua [prolata est], habens in superscriptione ita: *Dilectissimo fratri Sergio Honorius,* cujus initium fuit: *Scripta dilectissimi filii nostri Syrici diaconi.* Habet autem eadem epistola post pauca haec:

Necnon et Cyro fratri nostro Alexandriae civitatis praesuli, quatenus novae adinventionis unius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Ecclesiarum praeconio nebulosarum concertationum caligines offundi non debeant vel aspergi, ut profecto unius vel geminae operationis vocabulum noviter introductum ex praedicatione fidei

1) Labbe VI, 928—933.

eximatur. Nam qui haec dicunt, quid aliud nisi juxta unius vel geminae naturae Christi Dei vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicantur? Super quod clara sunt divina testimonia. Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse Mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum, sentire et promere, satis ineptum est.

Habet autem et circa finem eadem epistola sic: Et quidem, quantum ad instruendam notitiam ambigentium, sanctissimae fraternitati vestrae per eam insinuandam praevidimus. Ceterum quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus propter simplicitatem hominum et amputandas inextricabiles quaestionum ambages, sicut superius diximus, non unam vel duas operationes in Mediatore Dei et hominum definire: sed utrasque naturas, in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem, quae Dei sunt operantem: et humanam, quae carnis sunt exsequentem, non divise, neque confuse aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes. Unus enim atque idem est humilis et sublimis, aequalis Patri et minor Patre, ipse ante tempora, natus in tempore est: per quem facta sunt saecula, factus in saeculo est: et qui legem dedit, factus sub lege est, ut eos, qui sub lege erant, redimeret: ipse crucifixus, ipse chirographum, quod erat contra nos, evacuans in cruce de potestatibus et principatibus triumphavit.

Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri, et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptae,

in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.

Et hoc quidem beatissimae fraternitati vestrae insinuandum praevidimus, quatenus unius confessionis propositum unanimitati vestrae sanctitatis monstremus, ut profecto in uno spiritu anhelantes, pari fidei documento conspiremus.

Scribentes etiam communibus fratribus Cyro et Sophronio antistitibus, ne novae vocis, id est, unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur; sed abrasa hujusmodi novae vocis appellatione, unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana praedicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos praedictus frater et Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur, quod instantissime promiserunt praedictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater et Coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit [1]).

Jam de istis, quae dicuntur, Honorii epistolis statim edicere volo, quid in utraque, meo judicio, ab haereticis sive corruptum, sive malitiose insertum fuerit; quod ut melius intelligatur, sequentia sunt praenotanda.

Haeretici Monothelitae contendebant, in Christo Domino 1. *unam tantum*, quam Deivirilem vocabant, *operationem* et similiter 2. *unam tantummodo voluntatem*, scilicet divinam, admitti posse. Nihil autem se proficere intelligentes et pravam suam doctrinam validissimis rationibus a Catholicis impugnari, insuper voluerunt 3. ut hisce imponeretur silentium

1) Labbe VI, 968, 969.

nec cuiquam sive de unica sive de duplici Christi Domini voluntate et operatione sermonem movere liceret, sperantes fore ut ipsi interim, non obstante silentio imposito, errorem suum, saltem occulte, propugnare et propagare possent.

Jam vero in suis literis Honorius primo quidem doctrinam de UNA *tantum Christi operatione* profecto non affirmat, sed clarissime ostendit, se DUAS Domini agnoscere operationes; quamvis enim etiam de duabus operationibus silentium jubeat observandum, ipsas tamen non, ut Monothelitae facere consueverant, cum *persona* tantum, sed et cum duplici ejus *natura* connectit.

Quod secundum punctum attinet, Honorius expressis verbis ait: »*unam voluntatem fatemur Domini* »*nostri Jesu Christi*". Verba haec simpliciter, nulla adjecta explicatione, prolata, sine dubio sunt haeretica; sed nemo ambigit, ea intelligenda atque explicanda esse, prout postulat contextus; hic autem — quod in sequenti capite ostendemus — jubet, ut de *sola humana* Christi voluntate, id est, in sensu vere Catholico accipiantur, quum humanam voluntatem, ab haereticis negatam, diserte affirment. Eas autem epistolae partes, in quibus de Christi voluntate agitur, ut genuinas et nullatenus corruptas judicamus esse admittendas.

Tertio tandem in utraque epistola tam de duabus Christi Domini operationibus quam de unica silentium saepe saepius indicitur, sicut et Monothelitae illud indicere solebant. Haec autem non ab Honorio esse

scripta, sed ab haereticis conficta atque epistolis inserta fuisse, certum mihi atque indubitatum est et argumentis ex ipsa haereseos historia petitis evidenter a nobis demonstrabitur. Nostro quidem judicio, Honorius nascenti errori pro officii sui munere restitit, licet mansuetudine, ut decebat, Christiana usus erga errantes; rescripsit forsitan ad Cyrum vel Sergium : »Nolite, novo et insolito unius operationis vo»cabulo utentes, perturbare Christi Ecclesiam, et a »tali proposito saltem tacendo desistite"; sed numquam mandavit Sophronio, ejusve legatis vel cuilibet Christianorum, oretenus aut per scripta, ut a Catholica duarum Christi operationum professione, ac si haec fidelibus generaret scandala, abstinerent: quod nonnisi purum putidumque figmentum est, a Monothelitis excogitatum, ut suo errori Romani Pontificis conciliarent auctoritatem.

Haec autem ut jam statim aliquo modo confirmentur, historicis, in dissertationis decursu evolvendis, argumentis simplices quasdam observationes hic praemittere censui.

Ac primo quidem, quis quaeso credere poterit, litem motam *de Christi Domini operationibus* ab Honorio habitam fuisse tamquam meram de vocibus altercationem, vanis Grammaticis relinquendam, sed a doctore Catholico in fidei expositione prorsus contemnendam? Numquid ignota ipsi esse potuit Ecclesiae quam maxima cura et sollicitudo de recto in explicanda fide Catholica usu verborum? an ignorare potuit, vocem ὁμοούσιος contra Arianos consecratam

fuisse a Nicaena Synodo, vocem θεοτόκος contra Nestorianos a Synodo Ephesina? An talibus tantisque exemplis instructus ipse Summus totius Ecclesiae Pontifex declarare potuit, ejusmodi quaestionem nullatenus afficere fidem, ea praecipue motus ratione, quod haec quaestio a nullo Ecclesiae Concilio esset definita? Profecto tale quid, nisi certissime et ab omni parte constaret, numquam admittendum videtur.

Sed secundo, magis etiam improbabilis redditur haec ejus agendi ratio propter personas tam acriter inter se de Christi operationibus decertantes. Inter viros enim quaestio agitabatur non communes, sed Patriarchali in Ecclesia dignitate praeditos et nemini nisi soli Romano Pontifici inferiores.

Accedit tertio, quod Honorius, duas ipse, ut dixi, agnoscens Christi operationes, prohibuisset tamen quominus quis eas profiteretur aut publice praedicaret, idque non solum in priori epistola, qua ad quaestionis exortae per solum Sergium factam relationem respondebat, sed etiam in posteriori, cum de pravo haereticorum errore et fine certior jam factus esset per legatos Sophronii, qui primus haeresi se totus opposuerat. Hoc autem quomodo incredibile non sit, fateor me non intelligere.

Deinde quarto, in primo alterius epistolae fragmento corruptio videtur manifesta, nisi dicere velimus, quod absit, Honorium doctrinam Catholicam de *duabus Christi naturis* parum curasse. Ita enim ait: »Necnon et Cyro ..... ut profecto unius [vel »geminae] operationis vocabulum noviter introductum

»ex praedicatione fidei eximatur. Nam qui haec »dicunt, quid aliud nisi juxta unius [vel geminae] »naturae Christi Dei vocabulum, ita et operationem »unam [vel geminam] suspicantur? Super quod clara »sunt divina testimonia. Unius autem operationis »[vel duarum] esse vel fuisse... Christum, sentire »et promere, satis ineptum est." Quae in parenthesi posita sunt, additamenta videntur. Ex numero enim naturarum merito concludi ad numerum operationum, admittit Honorius; si igitur ut fidei dogma admisit duas Christi naturas, non potuit duarum operationum professionem rejicere ut ineptam.

Quinto etiam notandum est, epistolas nomine quidem Honorii scriptas esse, sed per amanuensem, qui profecto, pro muneris sibi demandati gravitate, si non Ciceronianam, Latinam tamen dictionem adhibere debuit; sed literarum dictio barbara, quinimo Graeca vox *energias* non Latinum, sed potius Graecum prodit auctorem. Hoc idem jam observaverat recens auctor J. B. Constant [1]; qui, Honorium defendens, literas ejus corruptas esse affirmat, sed, meo saltem judicio, corruptionem istam nimium extendit.

Sexto denique, ab eodem auctore recte observatum inveni, in priori epistola quaedam occurrere, quae Honorius scribere, quaedam vero in ea desiderari, quae omittere non potuit. Prioris generis sunt, tum ea, quae de Sophronio leguntur, verba

---

1) *L'Histoire et l'infaillibilité des Papes*, Tom. II.

prorsus insolita, a nullo umquam Summo Pontifice adhibita et celeberrimae Hierosolymitanae Ecclesiae vix non injuriosa, scilicet: »Sophronium *quendam* »*tunc monachum*, *nunc vero ex auditu* Episcopum »Hierosolymitanae urbis constitutum"; tum indecenter dicta adversus philosophos, qui vocantur »vani »naturarum ponderatores, ociose negotiantes et turgidi »adversus nos [insonantes] vocibus ranarum". Posterioris autem generis haec enumerantur: Honorius Heraclii Imperatoris, cujus mentionem iterato fecerat Sergius, ne meminit quidem; de saepius a Sergio memorata plurimorum haereticorum conversione, ob quam Summus Pontifex summopere laetari debuerat, similiter nullum profert exsultationis verbum; insuper Mennae ad Vigilium Papam scriptum libellum, »habentem", ut dicit Sergius, »diversa testimonia »paterna de una operatione et una voluntate", confictum atque suppositum esse non ostendit, quinimo libellum istum prorsus non commemorat; quorum omnium omissio tantam causat difficultatem, ut propterea Rohrbacher, aliique auctores suspicati sint, ipsius Sergii ad Honorium epistolam fuisse corruptam [1]).

Sed haec in antecessum dicta isto loco sufficiant.

1) Constant, pag. 161—164.

CAPUT SECUNDUM.

De Heraclii Ecthesi.

Quarto anno post priorem ad Sergium scriptam epistolam, scilicet anno 638, mense Octobri, ex hac vita migravit Honorius, et per illum quatuor annorum decursum nullibi literas ipsius conspicimus a Monothelitis invocatas ad errorem suum stabiliendum, neque ad illum propagandum nova adhibita conamina; sed anno 639, Honorio vix mortuo, sub nomine Heraclii Imperatoris, haeretica prodiit *Ecthesis*, licet scriptum illud, quod probe notandum est, a Sergio jam ab anno 636 confectum et Imperatori oblatum fuisset. Difficultates et altercationes ex publicata hac Ecthesi exortae, quum multum inserviant ad Honorii causam et epistolarum ipsius corruptionem illustrandam, diligentur nobis sunt considerandae.

Ecthesis, sive expositio orthodoxae fidei, primo loco Catholicam de SS. Trinitatis et Incarnationis Mysteriis continebat recte expositam fidem; tum secundo, silentium de Christi operationibus observandum imponebat per haec verba: »*nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini incarnatione*"; et tan-

dem tertio, haereticum de Domini voluntate errorem sic docebat: »Unde sanctos Patres in omnibus et in »hoc sequentes, unam voluntatem D. N. J. C. ve»rissimi Dei confitemur, utpote in nullo tempore »animati intellectualiter ejus corporis separatim et ex »proprio impetu contrarie nutui uniti ei Dei Verbi »in una substantia naturalem ejus producere motio»nem, sed quando et qualem et quantam ipse Deus »Verbum voluerat" [1]).

Ecthesin hanc Synodus Constantinopolitana sub Sergio habita confirmavit, diversas pro diversa personarum conditione statuens poenas in eum, qui »*unam aut duas praesumpserit dogmatizare aut proferre in Christo Deo nostro operationes*" [2]). Sergio eodem anno **639** vita functo, successor ejus Pyrrhus in altera Synodo idem praestitit, decernens insuper, ut tam absentes quam praesentes Episcopi »*proprias subscriptiones actibus subjungere debeant*" [3]). Cyrus etiam Alexandrinus, in sua ad Sergium data epistola, Ecthesin approbans ait, se eam »non solum semel et »bis, sed et multo saepius diligenter relegisse", et »gratiarum hymnos Domino omnium Deo" retulisse [4]).

His non contenti Monothelitae in suas partes etiam Summum Pontificem, Honorii loco electum, sed per Imperatorem nondum confirmatum, Severinum, trahere studuerunt. Id novimus tum ex eadem Cyri epistola,

1) *Concil. Later. Secr.* III; Labbe VI, 185.
2) Ibid. 202.
3) Ibid. 203.
4) Ibid. 207.

ubi sibi delatum ait exemplar Ectheseos »ad Isacium »excellentissimum patricium et exarchum Italiae desti- »natae, *quam debet profiteri communis frater noster* »*Severinus sanctissimus*. *Deo juvante*, *qui ordinatur* »*in Roma*"; tum ex epistola S. Maximi ad abbatem Thalassium scripta, quam hic pro maxima parte subjungimus.

Significaverunt enim, quod multi [multa?] hujus rei gratia et prolixa quaedam in ea facta sit motio, id est, in regia urbe a sacratis illius ecclesiasticis viris: et prius quidem, sed praecipue per idem tempus, quando *illic missos in causa promotionis Papae cum delatis decretis apocrisarios* susceperunt. Tunc enim, tunc post plurimos sermones, quos ad eos causa consecrationis moverunt, novissime ad effectum ejus atque ad ipsius desiderii completionem protulerunt eis dogmaticam chartam, nunc ab eis expositam, asserentes, non aliter vobis in capitulo, pro quo tantum transigentes navigium huc venistis, favorem praestabimus, *nisi prius vos suasuros ei, qui sacrosanctus est, profiteamini, huic chartae subscribere*...

At illi earum, quae praetendebantur, sibi virtute comperta, et quod *hac pro causa tanto tempore manere viduam Ecclesiarum principem, matrem et urbem coëgissent*, hanc profecto per hujusmodi suum volentes obtinere commentum (dum scilicet usque ad eam quoque irrationabiliter extendendam fore novitatem propriam putaverint), ut id, pro quo studebant, assequerentur, tranquille rationem prosecuti sunt et quasi condescendentes dixerunt:

„Nos quidem super hoc auctoritatem praebere non „possumus, ministerium quippe nobis est creditum, non „professionem faciendi praeceptum. Illud autem vobis „certum reddimus, quod referamus omnia quae a vobis „praetenta sunt, et chartam ipsam ostendamus ei, qui con- „secrandus est, et *si judicaverit hanc bene habere*, rogabi-

„mus annotare huic propriam subscriptionem. Nunc autem „ne velitis insperate propterea nobis impedimento fieri et „vim inferre, protelando et nos hic retinendo. Neque enim „est qui cuilibet, maximeque in causa fidei, vim possit „inferre. In hac enim et nimis infirmus, fortis valde „consistit; et valde mitis, bellator summus invenitur.... „Quanto magis Romanorum Ecclesiae et clero, quae ab olim „hucusque, utpote senior cunctarum, quae sub sole sunt, „Ecclesiarum, omnibus praeest....."

Haec itaque cum taliter nihil reveriti, sed cum omni sacra decentique fiducia stabiles illi et *firmae revera et immobilis petrae* ministri, maximae videlicet et apostolicae, quae illic est, Ecclesiae, ad regiae urbis clericos disputassent, hos sedasse apparuerunt... Illi autem ipsorum admirantes pietatem.... et *a praetendenda charta cessantes*, jussionem in effectum ob episcopatum se suo perducere studio promiserunt.....

Hujus autem chartae, divinitus honorate pater, exemplar et mihi quoque transmissum est. Exposita vero ab eis fuerat causa *tacendarum in Christo Deo.... naturalium operationum*; et ne de caetero in eo sive una sive duae penitus praedicarentur [1]).

Diligenter haec considerantes mirari nos profecto oportet, Ecthesin, per tres annos jam paratam et Imperatori oblatam, non prodiisse in publicum, nisi mortuo jam Honorio. Romani Pontificis auctoritatem suo errori conciliare voluerunt haeretici; quam igitur ob causam, si Honorius revera scripsisset utramque haeresi faventem epistolam, neglexerunt ipsius allegare auctoritatem? quare eo vivente Ecthesin occultarunt? haeresi forsan non favit, sed restitit Honorius? Id autem

1) Labbe V, 1754.

esse verum, colligitur non solum ex hac haereticorum agendi ratione, sed etiam ex verbis S. Maximi scribentis ad Petrum Illustrem: »Quis pius et ortho»doxus non supplicavit antistes, cessare illos a propria »haeresi clamando et obtestando?"; et post pauca: »Quid autem et divinus Honorius, quid vero et post »illum Severinus senex, quid denique et is, qui post »hunc extitit, sacer Joannes? Porro is, qui nunc »praesidet beatissimus Papa, omisit quidquam suppli»cationi conveniens?" [1]); quae S. Maximi verba, scriptoris non tantum coaevi, sed et omnia, quae in causa Monothelismi acta sunt, optime pernoscentis, clare ostendunt, uti subsequentes ab eo memoratos Romanos Pontifices, ita et Honorium dictae haeresi restitisse; quamquam eorum, quae hac in causa ille sive scripserit sive fecerit, nullum jam reperitur vestigium; quod, mea quidem sententia, haereticorum, Isacii imprimis, fraudi adscribendum est. Nam de viro isto patricio, *ad quem*, ut refert Cyrus [2]), *destinata fuit Ecthesis*, *quam debet profiteri Severinus*, *qui ordinatur in Roma*, in vita sua Severini Papae pauca quaedam narrat Anastasius, quae summam merentur animi attentionem, mihique ansam praebuere suspicandi Isacii.

Haec itaque apud eum leguntur:

Severinus, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses duos, dies quatuor. Hujus temporibus devastatum

1) Labbe V, 1767.
2) Labbe VI, 207.

est episcopium Lateranense a Mauricio chartulario et Isacio patricio et exarcho Italiae, cum *adhuc electus* esset domnus Severinus. Sed antequam veniret Isacius, Mauricius dolo ductus adversus Ecclesiam Dei, consilio inito cum quibusdam perversis hominibus, incitaverunt exercitum Romanum, dicentes: „Quia quid prodest, quod tantae pecuniae con„gregratae sunt in episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, „et miles iste nihil exinde subventus habet, quando et „rogae [1]), quas domnus Imperator vobis per vices mandavit, „ubi [lege: *ibi*] sunt a sancto viro reconditae?"

His auditis exarserunt omnes adversus Ecclesiam Dei, et venerunt omnes a minimo [forsan: *animo*] concitati, omnes armati, qui inventi sunt in civitate Romana, a puero usque ad senem, in episcopio suprascripto Lateranensi, et non potuerunt manu militari introire, quia restiterunt ei, qui erant cum sanctissimo domno Severino. Tunc videns hoc Mauricius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus fecit ibi exercitum residere, intra episcopium Lateranense, et fuerunt ibi dies tres. Post triduum autem introivit Mauricius cum judicibus, qui inventi sunt cum ipso in consilio et [intrantes sub specie pacis] sigillaverunt omne vestiarium Ecclesiae, seu cymbilia episcopii, quae diversi Christianissimi Imperatores, seu patricii et consules pro redemptione animarum suarum beato Petro Apostolo reliquerant, ut pauperibus singulis temporibus pro alimonia erogarentur, seu propter redemptionem captivorum.

Et postmodum misit Mauricius epistolas suas ad Isacium patricium Ravennam, de hoc quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium episcopii; et quia sine aliqua laesione omnem substantiam saepedictam potuissent depraedari. Cumque haec verius cognovisset Isacius, venit in civitatem Romanam, et *misit omnes primates Ecclesiae singulos per singulas civitates in exilium*, ut non fuisset, qui ei resistere debuisset de clero. Et post

---

1) Stipendia?

dies aliquantos ingressus est Isacius patricius in episcopium Lateranense et fuit ibi per dies octo, usque dum omnes substantiam illam depraedarentur. Eodem tempore direxit exinde ex ipsa substantia partem quandam in civitatem regiam *ad Heraclium Imperatorem. Postmodum ordinatus est* sanctissimus Severinus, et reversus est Isacius Ravennam [1]).

Ex hisce Anastasii verbis haud injuria conjicere posse mihi videor, in hac episcopii Lateranensis direptione clam sublatas Constantinopolimque missas fuisse tum Sergii ad Honorium, tum Honorii ad Sergium et Imperatorem literas, idque nullo alio fine quam ut Pontifex ordinandus Severinus, nec primates clericos in exilium missos nec praedecessoris scripta de exorta noviter haeresi consulere valens, ab Isacio, cui hoc munus per Imperatorem demandatum fuerat, facilius adduceretur ad probandam Ecthesin. Conjecturam esse fateor, sed conjecturam non parum probabilem; ex eo enim quod omnes primates Ecclesiae prius in exilium missi sunt, satis apparet, spoliationi Lateranensi praeter praedam et aliam subfuisse causam, quae causa, si ea est, quam suspicor, non solum explicat, quomodo et Honorii et Sergii epistolae e Romanae Ecclesiae tabulario prorsus fuerint deperditae, verum etiam declarat, qui fieri potuerit, ut Honorii adversus haeresim *acta*, quae S. Maximus commemorat, quaeque impedimento fuisse videntur, quominus, vivente

1) Labbe V, 1753.

Honorio, Ectheseos fieret promulgatio, nullibi terrarum sint reperta.

Frustra autem Romanum Pontificem decipere haeretici conati sunt. Nam et Severinus, ut colligitur e Concilii Lateranensis Secretario tertio [1], et successor ejus Joannes Papa IV, *collecto* anno Domini 640 *Episcoporum Concilio*, ait Theophanes [2], Ecthesin condemnaverunt. Non solum autem illi, verum per totum Occidentem tanta vi adversus eam insurrexerunt fere omnes, ut eam reprobare cogeretur ipse Heraclius Imperator. »Ille quippe sentiens," ait S. Maximus, »quod in vituperium ejus in Occidente »quidam prorumperent, per epistolam liberum se »fecit ab Ecclesiae querimonia, scribens: *Ecthesis,* »inquit, *non est mea: neque enim ego vel dictavi,* »*vel jussi ut fieret. Sed cum hanc Sergius Patri-*»*archa composuisset ante quinque annos, priusquam* »*ab Oriente repedassem, deprecatus est me, cum ad* »*hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo* »*proponeretur cum subscriptione; et suscepi depre-*»*cationem illius. Nunc vero cognoscens, quod qui-*»*dam super eam altercarentur, cunctis facio mani-*»*festum, quia non est mea.* Hanc fecit jussionem »ad beatum Joannem Papam, condemnantem Ecthe-»sin in his, quae scripserat tunc ad Pyrrhum" [3]. Inde patet, *saltem* jam anno 636 Ecthesin Impe-

1) Labbe VI, 210.
2) Labbe V, 1773.
3) *Collatio S. Maximi cum principibus in Secretario*; Labbe VI, 439.

ratori oblatam fuisse a Sergio; Heraclius enim anno Domini 641 mense Martio vita functus est.

Sed Heraclium Ecthesin retractantem secuti non sunt Monothelitae, qui pontificiae Joannis condemnationi pontificiam Honorii opposuerunt auctoritatem ac sententiam. Hoc autem ad rem nostram quam plurimum facit, ideoque minime negligendum est, quod Monothelitae consentientem quidem secum ipsis dixerint Honorium, sed in doctrina tantum *de una Domini voluntate*, non in silentio de Christi operationibus indicendo, quod ex variis Catholicorum, qui defendebant Honorium, responsis luce clarius apparet.

Primus ejus defensionem suscepit Joannes Papa IV, inter alia haec scribens ad Heraclii filium Constantinum Imperatorem:

Quantum ex diversis suggestionibus, quae ad nos catervatim venerunt, quinimo et ex ipso quoque auditu didicimus, omnes occidentales partes scandalizatae turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per literas suas huc atque illuc transmissas nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante, et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente Catholici patris erat penitus alienum. Igitur ut vestra benignitas causam totam rei discere possit, subtilissima veritate, quae ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt, enarrabo.

Sergius reverendae memoriae Patriarcha praedicto sanctae recordationis Romanae urbis Pontifici significavit, quod quidam in Redemptore D. N. J. C. duas contrarias dicerent voluntates; quo praefatus Papa comperto, rescripsit ei, quia Salvator noster, sicut esset monadicus unus, ita et

valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus et natus esset. Et sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat, quia Redemptor noster, sicut esset Deus perfectus, ita esset et homo perfectus: ut, quam primus homo per praevaricationem amisit, sine aliquo peccato natus primae imaginis nobilem originem renovaret. Natus ergo est secundus Adam nullum habens nascendo vel cum hominibus conversando peccatum: etenim Verbum caro factum in similitudine carnis peccati, omnia nostra suscepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce praevaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis ejus, sed peccati. Etenim carnem Dominus veram suscepit ex intemerata et beata virgine Dei genitrice, consubstantialis nobis effectus. Ergo similitudinem carnis peccati sanctus dicit Apostolus: quam similem nobis peccatoribus sine peccato cum anima rationali suscepit; et idcirco *unam voluntatem* secundum primam formationem Adae *naturalem humanitatis suae* D. N. J. C. habere dignatus est, *non duas contrarias*, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adae geniti.

His dictis, e sacra Scriptura ostendit, nos omnes »duas contrarias habere voluntates, mentis et »carnis invicem reluctantes", et dein ita prosequitur:

Ergo unus et solus est sine peccato Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus et natus est. In dispensatione itaque sanctae carnis suae duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius. Neque enim habuit quodcumque peccatum, qui venit dimittere peccatum mundi, quemadmodum et ipse dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* et alias taliter ait: *Venit princeps mundi hujus, et in me invenit nihil.* Unde scientes, quod nullum in eo, cum nasceretur et conversaretur, esset

omnino peccatum, decenter dicimus et veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctae ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias mentis et carnis praedicamus, secundum quod quidam haeretici velut in puro homine delirare noscuntur.

Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster praenominato Sergio Patriarchae percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est, in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo, coaptatur quod scriptum est: *Scio enim quod non habitat in me*, id est, in carne mea, *bonum.* Et iterum: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio. Si autem quod nolo malum, illud facio, non jam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*; et post haec: *Video enim aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Hinc ergo hae duae contrariae voluntates mentis et carnis, quas Apostolus docet, in nostro nequaquam Salvatore fuerunt, eo quod hic luctaminis stimulus ex praevaricatione protoplasti sumpsit initium: quoniam a Redemptore nostro natura suscepta est, non criminis culpa.

Sed ne quis nonnumquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura, et non etiam de divina natura docere sciatur: etenim Christus in duabus naturis in una persona unitis cognoscitur, adoratur et colitur Deus et homo perfectus. Debet qui super hoc ambigit scire, quoniam ad hoc facta est responsio ad jamdicti Patriarchae interrogationem. Praeterea et hoc fieri solet, ut scilicet ubi est vulnus, ibi medicinale occurrat auxilium.

Deinde ostendit, etiam in S. Scriptura nunc de divina, nunc de humana tantum Christi natura agi, quibus expositis rursum subjungit;

Praedictus ergo decessor meus, docens de mysterio incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt: quod veritati omnimodis est contrarium [1].

Defensionem hanc unice spectare ad Honorii verba: *unam voluntatem fatemur D. N. J. C.*, eaque verba de *humana* Christi voluntate explicari, perspicuum est. Verum explicatio ista plurimis commendatur titulis; profecta est enim a summa auctoritate illius Romani Pontificis, qui Honorio fere proxime successit; data praeterea et exposita est ab eodem Joanne abbate, quem ex mox citandis S. Maximi verbis, et Honorii et Joannis IV epistolam composuisse novimus; tandem convenit cum tota Honorii argumentatione, ejusque epistolae contextu.

In componenda autem praedicta Honorii apologia, scriptor non literas hujus Pontificis prae oculis habuisse, sed suam potius consuluisse videtur memoriam; quod nobis iterum rationem praebet suspicandi, Honorii literas eo jam tempore in Romanae Ecclesiae tabulario non amplius exstitisse. Joannes enim abbas, Joannis Papae nomine hanc scribens apologiam, nonne ipsa Honorii epistolae a se itidem conscriptae verba allegare, nonne ad ea Catholice explicanda suae argumentationis seriem, suum verborum contextum invocare debuisset, si hoc facere potuisset? Potuisset

1) Labbe V, 1758.

autem, si literarum apographum eo tempore Romae exstitisset. At methodum secutus est in sua apologia plane diversam. Neglectis enim Honorii, quinimo, si ita dicere fas est, neglectis suis ipsius verbis, neglectis argumentatione ac contextu epistolae, Catholicam de Christi Domini voluntate doctrinam simpliciter exponit, eique expositioni haec tantum verba subjungit: *secundum hunc igitur modum Honorius scripsisse dignoscitur*.

Longe aliter fecit S. Maximus, qui et ipse Honorii defensionem adversus Monothelitas suscepit. Sic enim scribit ad Marinum presbyterum:

Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem in epistola, quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, et hanc fortassis etiam constabilire.....

Cum enim dixisset, quia, propter ineffabilem unitatem humanae ac divinae naturae, *et Deus dicitur pati, et humanitas de coelo cum humanitate* [lege: *divinitate*] *descendisse*; et hoc modo ostendisset eorum, quae naturaliter insunt utrique naturae unius Christi et Dei Filii per commutationem, summam redditionem, subinfert: *Unde*, inquiens, *et unam voluntatem fatemur Domini Jesu Christi*, quomodo ait: *Quia profecto a divinitate assumpta est natura nostra, non culpa*; id est, non a peccato, propemodum, cum magno effatus Athanasio, qui haec contra Apollinarium impium scribit: „Natus est ex muliere, de „prima plasmatione hominis formam sibi erigens in ostensione „carnis absque carnalibus voluntatibus et humanis cogi- „tationibus in imagine novitatis. Voluntas enim sola divi- „nitatis est, quoniam natura tota divinitatis est....." Hac ergo ineffabili nativitatis ejus inspecta ratione, ille quidem

[S. Athanasius] voluntatem solam in eo divinitatis dixit, hic vero [Honorius] voluntatem unam D. N. J. C. *quia profecto*, inquit, *a divinitate assumpta est natura nostra, non culpa*, absque carnalibus voluntatibus et humanis cogitationibus, ut sacratissimus Athanasius ait. Non tamen perhibuit eum tamquam hominem, quia est quoque natura Deus, non habere humanam voluntatem et naturalem, quemadmodum et divinam atque paternam.

Idipsum autem etiam in subsequentibus innuit, asserens: *sine peccato conceptus est de Spiritu Sancto, ex sancta immaculata semperque virgine Dei genitrice* Maria, et *sine contagione* ex ea secundum carnem natus est. Divinam quoque Scripturam in laudem et vituperationem profert carnis memoriam facere; non aliam, absit, natura et substantia Domini carnem quam nostram commonens intelligendam: qui etiam hanc sciebat assumptam ex nostra substantia, id est, ex congenitae nobis semper virginis et Dei matris sanctis visceribus: sed alienam a vitio et nullatenus legem praevaricationis habentem, sicut nos, in membris repugnantem spiritus legi. *Non enim assumpta est*, ait, *a Salvatore caro a peccato corrupta, quae repugnaret legi mentis ejus.* Cujus enim sementationem, quae per peccatum efficitur, non praecessit generationis lex, hujus omnino nec in membris est, sed lex divinae justitiae ad imaginationem nobis ostensa, et eam quoque, quae ex praevaricatione naturae illata est, perfecte demolitur.

Venit enim sine peccato *quaerere et salvare quod perierat, id est, naturam humani generis*, quae peccaverat. *Alia enim lex in membris ejus, aut voluntas diversa vel adversa non fuit in Salvatore.* Hinc ostendit, non quod non habuerit humanam voluntatem et naturalem (non enim hoc dixisse videtur), sed quod sicut homo neque secundum corpus per membra quamlibet habeat praeter naturae leges operationem; neque rursus secundum animam voluntatis contrarium vel sine ratione motum, veluti nos: quia et *super legem natus est humanae naturae*,

Expressius autem et in subsequentibus comprobat, quod sermo sibi esset, tantum vitiatam et non naturalem a Salvatore disterminandi voluntatem, et quod in naturali ac humana ad paternam ac divinam coaptatur quidem, sed nullam haberet ad illam ex repugnatione diversitatem. Normam autem dans nobis seipsum, quod proprie suum erat, voluntarie subjiciebat: commendabat vero paternum. Quatenus et nos imitati, quod nostrum est reprobato, quod divinum est omni studio expleamus, dicens ita: *Licet enim scriptum sit: „Non veni facere voluntatem meam, „sed ejus qui misit me Patris"; et: „Non quod ego volo, „sed quod tu Pater"; non sunt haec diversae voluntatis,* id est, contrariae ac repugnantis, *sed dispensationis humanitatis assumptae,* quae sua compassibiliter fecit, quae nostra sunt. *Ista enim propter nos dicebat, quibus dedit exemplum pietatis magister, ut sequamur vestigia ejus, non suam unusquisque nostrum, sed Domini potius in omnibus praeferat voluntatem.*

Non ergo interemptionem, ut dixi, naturalis et humanae voluntatis, sed vitiosae ac ejus, quae est extra naturam, facit; et totum fateamur ab omni peccato Deum liberum esse, testatur, qui secundum nos propter nos incarnatus est. Et, ut compendio dicam, per unam voluntatem, solam ejus secundum carnem nativitatem eum divinam praecessisse voluntatem indicare conjicio. Per id vero quod ait, non esse voluntatis ejus diversitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, sed conveniens et prorsus unitum ex toto. Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumptam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit: „Non veni „facere voluntatem meam", in medium verbo praeponit omisso numero; *Non sunt,* inquit, *haec diversae voluntatis,* id est, contrariae atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates, manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, naturalem habuit, tamquam homo. Quod enim non est contrarium,

naturale profecto est, et nemo contradicit. Nihil quippe in natura vel in his, quae sunt secundum naturam, est omnino contrarium.

Timor ergo est opinari, quod in ejus proprie non est sermonibus scriptum, et moliri adversarios propriae opinionis tamquam non bonae ad velamentum illius viri literas faciendum: secundum utrumque has praeter illius intentionem falso referentes. Advocatum quippe habet rationis sermonem, omnem calumniatoris abigentem incursum. Et ego quidem sic se illius habere sensum existimo, ab omni suspicione purgatum.

Certiorem autem mihi hunc sanctissimus fecit presbyter, dominus videlicet Anastasius abbas, a seniori Roma reversus, vir scilicet incomparabilis, virtuteque divina et prudentia venustatus; qui asserens, quod multum sermonem moverit ad sacratissimos magnae illius Ecclesiae viros, propter epistolam, quae ab eo fuerat ad Sergium scripta, percontans cujus rei gratia vel qualiter in ea inserta fuerit una voluntas, et invenit haesitantes in hoc et rationem reddentes. Insuper et eum, qui hanc per jussionem ejus Latinis dictaverit dictionibus, dominum videlicet abbatem Joannem sanctissimum symponum, affirmantem, quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis: licet hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Graecam vocem interpretati sunt: verum nec quamlibet exinanitionem vel abolitionem naturalis secundum humanitatem Salvatoris voluntatis, sed ejus, quae nostra est et reproba facta, perfectam dejectionem et interemptionem: juxta quod et in invicem eorum, quae unius generis sunt, efficitur bellum; ostendere volens, ab omni esse peccato mundam assumptam carnem, secundum sacratissimorum eloquiorum et paternarum doctrinarum traditionem. Et apparet qualiter hujusmodi sermones concinentes sint cum his, quae modo sunt ab exiguitate mea recitata, et veluti adstipulatores factae pro Honorio defensionis.

Ego, cum haec ille ratiocinando respondisset, miratus

sum, oppido cognoscens subtilitatem ipsorum et obstupui quodammodo super astutia eorum, qui pro uno frustra omnia gerere impie audent, et volunt, sicut eis ab olim moris, et nunc est, furtivis et falsis narrationibus eos, qui contra se magnanimiter agonizant, taliter, quin et absque omni ratione ad se ipsos attrahere et sensum fraudare, qui se nullatenus sequitur.

Necessario ergo et hoc cum didicissem, significavi tibi domino, honorabilis pater, quatenus per omnia munitus, habeas qualiter insequaris adversariorum phalanges, verboque indefesse jaciens, et fide potenter superans, gloriamque hinc Unigeniti in praeconium habens, et diadema hujus communionem per gratiam et unitatem [1]).

Varias ob causas totam viri sancti epistolam hoc loco communicandam esse duximus. Primo enim ex ea patet, S. Maximum, apographo per amicos, quos Constantinopoli habebat, ipsi transmisso, priorem Honorii epistolam in conscribendis ad Marinum literis prae oculis habuisse. Praeterea ex ejus agendi ratione, qua in privata ad amicum epistola Honorium defendens ipsis hujus Pontificis verbis atque argumentatione utitur, jure merito conficimus, nec Joannem IV in suis ad Imperatorem literis hunc defensionis modum neglecturum fuisse, si epistolarum Honorii exemplar apographum adhuc Romae exstitisset. Haereticorum deinde accusatio, quam S. Maximus refellit, sola respicit Honorii verba de Christi Domini *voluntate*; de *silentio* circa Christi operationes, quod Pontifex ille imposuisset, ne verbum quidem in epistola occurrit. Denique, quae S. Maximus ab

1) Labbe V, 1763.

Anastasio abbate audivisse se narrat, ea invocata aliquando fuerunt ad ostendendum, etiam haec Honorii verba: *unde et unam voluntatem fatemur*, ab haereticis fuisse corrupta. Inter alios recens scriptor Gallicus, B. M. Constant, ea allegat. Sed quam immerito hoc fiat, paucis hic explicandum est, quia tantum abest, ut conjectura illa faveat nostrae sententiae, ut ei potius noceat atque obsit.

Nondum scripta quippe, aut saltem nondum sibi cognita, quam Joannes IV confici curavit, Honorii apologia, S. Maximus, non alio nisi Anastasii nisus testimonio, hoc affirmavit quidem in laudata epistola; postea vero, Pyrrhum refutans et Catholicam Honorii fidem iterum defendens, de ista haereticorum fraude prorsus silet; quinimo ultro concedit, verba illa esse authentica, eaque Catholice explicat invocando praesertim expositionem, quam dederat Joannes abbas, cum praedictam Honorii apologiam, jussu Joannis IV, conscribebat. Praeterea, quis est qui intelligat, cur abbas ille — quod profecto facere debuisset — hujus fraudis, si revera obtinuisset, ne ullam quidem in apologia fecerit mentionem? Quae omnia ut magis pateant, ipsum S. Maximum audiamus disputantem cum Pyrrho:

Pyrrhus. Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi esse tradidit?

Maximus. Quis fuerit fide et auctoritate dignus epistolae hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, et qui totum Occidentem cum aliis virtutibus tum dogmatibus fidei Christianae illustravit;

an ii, qui Constantinopoli, quae ex corde erant, loquebantur?

Pyrrhus. Qui hanc composuit.

Maximus. Is igitur ipse cum ad divum Constantinum Imperatorem ex persona sancti Papae Joannis de hac epistola scriberet, dixit: „Unam voluntatem diximus in Domino, non „divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum „enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates „in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non „duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, et „spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam „tantum, quae naturaliter humanitatem ejus signabat." Hoc autem ita esse, argumentum evidens est, meminisse membrorum et carnis, quae quidem de divinitate illa accipi non permittunt. Deinde occurrit per anticipationem objectioni: „Si quis vero", inquit, „dicat, quare de humani„tate Christi agentes, de divinitate ejus non meministis? „respondemus: primum quidem, responsum fuisse ad „quaestionem; deinde, ut in omnibus, sic etiam hic con„suetudinem Scripturae nos secutos fuisse, quae aliquando „ex divinitate ejus disserit, ut cum ait Apostolus: *Christus „Dei virtus et Dei sapientia*, aliquando ex humanitate, „et solum, ut cum idem ait: *Quod stultum est Dei, sa„pientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius „est hominibus.*"

Pyrrhus. Simplicius antecessor meus accepit hoc, in vocem intentus [1]).

Haec verba, me quidem judice, satis ostendunt, S. Maximum, si antea putavit Honorii verba de Christi Domini voluntate fuisse adulterata, postea, a Joanne Papa melius edoctum, mutasse sententiam. Simul autem nos docent Pyrrhi pertinaciam, qua

1) Labbe V, 1813.

Honorii auctoritatem pro haeretica sua de Christi voluntate sententia invocavit. Anno enim 645 in Africa praefatam cum S. Maximo habuit disputationem, quamvis anno jam 641 Joannes Papa IV ad Imperatorem misisset Honorii apologiam.

Verum quod Pyrrhus fecit in Africa, hoc post eum, anno 641 in ejus locum ab Imperatore suffectus, Constantinopoli egit Paulus. Qui, Monothelita cum esset, et ipse provocavit ad verba et auctoritatem Honorii, quod, qua occasione factum sit, paucis nunc explicandum.

Statim ac promotus esset Paulus ad Patriarchalem Sedem Constantinopolitanam, ad Joannis IV successorem, Theodorum Papam, literas misit, uti dicunt, synodicas, quibus literis, haeresi sua occultata, Catholicum se esse ita simulavit, ut Pontifex ei respondens, fidem ejus festivis verbis laudaverit. Haec enim ad eum rescribit Theodorus Papa: »Lecti »apices dilectionis vestrae limpida fidei fluenta vos de »fontibus Salvatoris hausisse, et sicut praedicamus »praedicare, et quemadmodum credimus credere, »et sicuti docemus indiminute docere manifestarunt." Non tamen ab omni parte de Pauli fide certum fuisse Papam, ex iis patet verbis, quae post pauca adjecit: »Quamobrem fraternitas tua a publicis locis chartam »[*Ecthesin* intelligit], quae suspensa pridemque cas»sata fuerat, non abstulit? quae scilicet scandalum »sanctis Dei Ecclesiis non modicum intulit. *Corde »enim creditur ad justitiam, ore autem confessio »fit in salutem.* Si dejiciendum ergo ejusdem Pyrrhi

»conamen fraternitas vestra ducit, qua pro causa »praedictam chartam de pariete non deposuit? Nemo »quippe, quod abominatur, colit. Si autem, quod »absit, hujusmodi scriptum amplectitur, cujus rei »gratia nobis hoc per propria synodica sua minime „patefecit?" Quum porro Pyrrhus, cui Paulus successerat, canonice non fuisset depositus, Papa addit: »Praecepimus carissimis filiis nostris Serico archidiaco»no et Martino diacono et apocrisiario, quibus et »locum nostrum ad hujus rei deliberationem credimus, »quatenus cum fraternitate vestra praedicti Pyrrhi »culpa regulariter exquiratur" [1]). Martinus, de quo hic sermo, postea in demortui Theodori Papae locum successit. Sericus autem Archidiaconus idem est cum Syrico Diacono, cujus meminit Honorius initio posterioris ad Sergium epistolae; ita saltem conjecit Sirmondus dicens: »illum perdiu et sub diversis „Pontificibus apocrisiarii munere perfunctum" [2]).

Legatis suis mandasse Pontificem, ut in Pauli Patriarchae fidem diligenter inquirerent, ex supradictis merito colligitur, et praeterea ex subsequentibus certo constat. Plurimis enim querelis a diversis Africanae provinciae Episcopis tum ad ipsum Paulum, tum ad Imperatorem, tum ad Summum Pontificem delatis, quod Paulus chartam, quae Ecthesin continebat, publicis locis suspensam non auferret [3]), Paulus tandem, anno 646, legatorum imprimis opera,

---

1) Labbe V, 1777.
2) Labbe, l. c.
3) Labbe VI, 101—156.

eo adductus est, ut, post fraudulentum quatuor annorum silentium, haereticam mentem ac pravitatem ingenue aperiret. Audiamus ipsum Paulum haec in epistola ad Papam scripta affirmantem.

Ibi enim, post allatas silentii sui rationes, ita prosequitur:

Licet tacuimus, non semper tacebimus, adaperiente nobis Deo claves verbi. Igitur directis in praesenti a beatitudine fraternitatis vestrae apocrisiariis, qui post multas factas inter nos de ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in finem ad hoc pervenerunt, admonentes nos atque adhortantes *interpretari* UNIUS *Christi veri Dei nostri* VOLUNTATIS *intellectum* [notentur haec verba], atque hujusmodi interpretationem destinari vestrae sacratissimae venerationi...... Nos igitur, id est, jurisdictio Ecclesiae nostrae et Synodus, confitemur unum consubstantialis et auctoris vitae Trinitatis Filium, etc.
Ideoque et Deus dicitur pati, et filius hominis a coelo descendisse propter summam et indissipabilem secundum substantiam duarum naturarum unitatem. Unde et *unam voluntatem* Domini nostri Jesu Christi intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque personae D. N. J. C. applicemus, aut ipsum se expugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus.

Et post haereticam prorsus istorum verborum expositionem, et invocata auctoritate tum S. Athanasii, tum S. Cyrilli Alexandrini, ait:

Sed et omnes, pietatis doctores et praedicatores hujusmodi UNIUS VOLUNTATIS mente detinentur. Quorum si opus est requisitione proveniente et competenter relegimus testimonia: quibus concordantes et consonantes facti sunt piae memoriae Sergius et HONORIUS, unus

quidem novae, alter autem antiquae Romae Summi Sacerdotii Sedem decorantes. Igitur de his ita nos habemus, sic intelligimus, sic praedicamus; in his orthodoxiae manifestatio, in his Ecclesiae laus, in his salutis nostrae spes [1]).

Liquet profecto, et Paulum Patriarcham ad Honorium provocasse tamquam ad patronum illius doctrinae, quae unicam Christi asserebat voluntatem. Responsum, quod sive per legatos sive per literas ad ejus epistolam dedit Pontifex, prorsus ignoramus; hoc autem certo scimus: primo, Patriarcham Paulum per sententiam S. Sedis depositum fuisse [2]); secundo, eundem Paulum Constanti Imperatori consuluisse, ut, Ecthesi remota, Typum in ejus locum substitueret, quod et revera anno Domini 648 fecit Imperator. Hic tandem incipit nostra, quae sequenti capite fusius evolvenda est, proprie dicta argumentatio; pro majori tamen dicendorum claritate praestat ea, quae huc usque exposuimus, in fine hujus capitis paucis contrahere.

Primo igitur vidimus, Honorii verba, quae de Christi voluntate in ejus epistola occurrunt, vere ab eo fuisse scripta, quum et a Joanne Papa IV et a S. Maximo, qui in disputatione cum Pyrrho ea, quae in epistola ad Marinum edixerat, quodammodo revocat, ut germana ac genuina habita et agnita sint. Secundo, illa verba per memoratos viros Catholice explicar

1) Labbe VI, 222.
2) Labbe VI, 90.

de Christi voluntate *humana*, quam unam dicit Honorius, quia nulla in ea adest mentis et carnis pugna; eamque explicationem cum toto Honorii contextu plane convenire. Tertio, Monothelitas multum laborasse, ut haeretica ipsorum Ecthesis per Severinum Papam confirmaretur; hac vero spe frustratos, Honorii auctoritatem, quam quamdiu ille viveret invocare non sunt ausi, post mortem ejus in defensionem reprobatae a S. Sede Ecthescos invocasse, idque non semel tantum, sed per totam illam periodum, qua Ecthesis publice exposita fuit. Quarto denique, omnem quaestionem, quae toto hoc tempore de Honorii sententia Catholicos inter et haereticos movebatur, unice ad verba Pontificis de Christi *voluntate*, minime vero ad *silentium* spectare, quod ille circa duplicem Christi operationem imposuisset Catholicis. Quod eo magis memoria retinendum est, quia nunc argumenta proponenda veniunt, quibus demonstrabitur ea, quae de illo *silentio* hodiedum in Honorii epistolis leguntur, corrupta fuisse seu potius aliena manu inserta.

CAPUT TERTIUM.

De Typo Constantis.

Typus, quem, suadente Paulo Patriarcha, anno Domini 648 Constans Imperator Ecthesi substituit, fuit sequentis tenoris:

Consuetudinem habentes de omnibus curam agere et intendere, quae respiciunt ad utilitatem Christianissimae nostrae reipublicae, et praecipue quae feruntur ad immaculatam nostram fidem, per quam nobis omnia prospera fieri credimus, cognovimus in multa perturbatione esse nostrum orthodoxum populum: utpote dicentibus quibusdam unam voluntatem in dispensatione magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et eundem ipsum operari divina et humana; aliis autem dogmatizantibus duas voluntates et duas operationes in eadem dispensatione incarnati Verbi. Et illis quidem in satisfactione propter unam personam, esse Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis inconfuse et indivise volentem et operantem divina et humana; aliis autem propter convenientes naturas indivise in ipsa una persona, et ut salvetur et maneat earum differentia secundum naturas, eundem ipsum unum Christum naturaliter operari divina et humana. Et ex hoc in multam dissensionem et contentionem nostram Christianissimam rempublicam produci, ut discordantes invicem non convenirent, et ex hoc secundum multos modos eam laedi oportere.

Igitur arbitrati sumus, ab omnipotente Deo inspirati, sicut talem accensam discordiae flammam extinguere, et

non concedere eam ulterius humanas animas depasci. Quapropter sancimus, nobis subjectos, qui consistunt in orthodoxa et immaculata nostra Christianorum fide, qui sunt Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, non habere licentiam invicem a praesenti de una voluntate aut una operatione, aut duarum voluntatum aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam.

Haec autem sancimus, nihil aliquid interficientes penitus de piissimis dogmatibus, quae a sanctis probabilibus Patribus de dispensatione incarnati Dei Verbi dogmatizata sunt, sed ulterius contentionem, quae gratia propositae quaestionis orta est, cessare praevidentes, et tantummodo de eis sequi et sufficienter habere divinas Scripturas et traditiones sanctorum quinque universalium Conciliorum, et simplicibus sine quaestione sanctorum probabilium Patrum usibus sive vocibus, quorum dogmata, regulae et leges sanctae Dei Catholicae et Apostolicae Ecclesiae consistunt, nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per suam intentionem eas interpretantes, sed priorem habitum ubique custodiri, sicuti antequam procederet contentio praedictarum quaestionum, quasi nulla de eis exorta contentio, nulli de omnibus usque ad praesens unam voluntatem et unam operationem, aut duas voluntates et duas operationes dogmatizaverunt: sub qualemcumque querelam hujus gratia aut accusationem facto, nisi tantummodo qui ex sanctis quinque universalibus Conciliis et ceteris orthodoxis probabilibus Patribus ejecti sunt haeretici cum impiis eorum dogmatibus et conscriptis; et ut compendiose dicamus, quod sancta Catholica et Apostolica Ecclesia non accepit, sed abjecit.

Ad perfectam autem unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum et communem concordiam et ut nulla occasio relinquatur eis, qui sine fine volunt contendere, et chartas [1]), quae positae fuerunt in narthica sanctissimae magnae eccle-

1) *Chartas*, id est: *Ecthesin.*

siae hujus a Deo conservandae nostrae regiae urbis, quae continent praedictas quaestiones, jussimus levari.

Qui autem ea praesumpserint praevaricari, primum quidem subjacent judicio terribili omnipotentis Dei; deinde autem et non qualemcumque regalem indignationem revereantur, per quam si quidem Episcopi aut clerici sunt, sui sacerdotii sive sui cleri modis omnibus excidant; sin autem monachi, segregentur et alieni sint de suis locis; sin autem dignitatem aut cingulum aut militiam habeant, nudentur de eis. Si autem sint privati, si quidem nobiles consistunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur; sin autem ignobiles consistunt, non solum in corpore verberentur, sed in exilio perpetuo castigentur: ut omnes timore Dei compressi et comminata eis digna supplicia reverentes, immobilem et sine turba pacem sanctarum Dei Ecclesiarum custodiant [1]).

Typo isto promulgato statim sese opposuit Summus Pontifex, Paulumque Patriarcham, ut scriptum illud revocaret, per legatos hortatus est. Sed frustra. Paulus enim, ira et furore incitatus, tum legatos pontificios tum alios Catholicos viros persecutus est, quod S. Martinus I, Theodori Papae successor, hisce narrat verbis: »[Paulus] studuit ad cooperimen»tum proprii erroris, et in hoc Sergium imitatus, »quibusdam subreptionibus uti, et clementissimo prin»cipi suadere, Typum exponere, qui Catholicum »dogma destrueret..... Qua de re hujusmodi pra»vitatem suam defendens, quod numquam nec a prio»ribus haereticis praesumptum est, ipse illicite prae»sumere studuit. Altare enim sanctae nostrae Sedis,

---

1) Labbe VI, 231—235.

»in domo Placidiae sacratum, in venerabili oraculo »subvertens diripuit, prohibens ne adorandam et »immaculatam hostiam, id est, sacram celebrationem »apocrisiarii nostri ibidem Deo offerre valeant et »vivificae divinae communionis sacramenta percipiant. »Quos videlicet apocrisiarios, qui ex praeceptione »apostolicae auctoritatis commonuerunt eum, ut de »tali haeretico intentu recederet, necnon contestari »visi sunt, persecutionibus diversis cum aliis ortho»doxis viris et venerabilibus sacerdotibus insecutus »est eos, quosdam eorum custodiae retrudens, alios »in exilio deportans, alios autem verberibus sub»mittens" [1]. Has igitur ob causas, atque ut solemniore Typus sententia condemnaretur, dictus Papa Martinus mense Octobri anni 649 Concilium Lateranense convocavit, quae Synodus, ait Binius, tantae est amplitudinis, dignitatis ac majestatis, ut ad plenam fidei Catholicae professionem, post quinque universalium Synodorum assertionem, hujus quoque confessionem usque ad plenam sexti Oecumenici Concilii promulgationem fideles adjicere solerent [2].

Argumenta autem, quibus corruptas fuisse Honorii literas demonstrabitur, quum maxima quidem parte ex iis desumenda sint, quae cum Typi condemnatione intime cohaereant, profecto necesse esse videtur, ut ante omnia ipsam causam indicemus, propter quam Typus condemnatus sit. Sic itaque loquitur Concilium Lateranense, Secretario IV:

1) Labbe VI, 91.
2) Ibid. 385.

»Relectus Typus bonum quidem intentum habere »dignoscitur, dissonantem autem virtutem intentui »continet. Bonum est namque procul dubio et »omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere »dissensiones et altercationes pro causa fidei, *sed non »est utile et bonum*, *cum malo destruere bonum*, id »est, cum haereticis orthodoxorum Patrum verba et »dogmata..... Igitur nullo modo oportet contra eos, »qui minime denegant pariter utrumque, id est, unam »aut duas dicere in Christo Deo operationes et volun- »tates, sine discretione indignationem infligere, sed »juste contra eos tantummodo hanc proferre, qui non »confitentur, quas probabiles Ecclesiae Patres confi- »tentur, hoc est, duas voluntates et operationes..... »Propterea intentum quidem, ut dictum est, bonum »existentem Typi laudamus, sed modum ab intentu »dissonantem avertimur; quoniam omnino est incon- »veniens Catholicae Ecclesiae regulae, in qua utique »adversa tantummodo jubetur merito sepeliri silentio, »non enim orthodoxa cum contrariis confiteri omnino, »aut quoquo modo denegare..... Ab omni conta- »gione haeretica alienum consistit verbum orthodoxiae, »quod sine dubio intransgressibiliter *confiteri* in con- »fessione aeterna *omnibus praecepit* Dominus, dum »dicit: *Qui me confitebitur coram hominibus*, *confi- »tebor et ego eum coram Patre meo*, *qui in coelis »est; qui autem negaverit me et sermones meos*, *negabo »eum et ego coram Patre meo*, *qui in coelis est*" [1]).

---

1) Ibid. 235.

His consonant ejusdem Concilii sequentes canones: »Si quis secundum sanctos Patres NON CONFITETUR »proprie et secundum veritatem duas unius ejusdem»que Christi Dei nostri operationes cohaerenter unitas, »divinam et humanam, ab eo quod per utramque »ejus naturam operator naturaliter idem existit nostrae »salutis, condemmatus sit (XI). - Si quis secundum »scelerosos haereticos CUM UNA voluntate et una ope»ratione, quae ab haereticis impie confitetur, ET DUAS »voluntates pariterque et operationes, hoc est, divi»nam et humanam, quae in ipso Christo Deo in »unitate salvantur et a sanctis Patribus orthodoxe »in ipso praedicantur, DENEGAT ET RESPUIT, condemna»tus sit (XIV). — Si quis secundum sanctos Patres »consonanter nobis pariterque fide non respuit et »anathematizat anima et ore omnes, quos respuit et »anathematizat nefandissimos haereticos sancta Dei »Ecclesia Catholica et Apostolica, id est, Sabellium, »Arium..... cum quibus merito, utpote similes eis pari»que errore praeditos: ex quibus dogmatizare noscun»tur, proprioque errori vitam suam determinantes, »hoc est, Theodorum quondam Episcopum Pharanita»num, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopo»litanum, vel ejus successores Pyrrhum et Paulum in »sua perfidia permanentes, et omnia impia illorum »conscripta.... et super haec impiissimam Ecthesin.... »et cum illis denuo scelerosum Typum, qui ex suasio»ne praedicti Pauli nuper factus est a serenissimo prin»cipe Constantino Imperatore contra Catholicam Ec»clesiam, utpote duas naturales voluntates et opera-

»tiones, divinam et humanam, quae a sanctis Patribus »in ipso Christo Deo vero et Salvatore nostro pie prae»dicantur, cum una voluntate et operatione, quae ab »haereticis impie in eo veneratur, pariter denegare et »TACITURNITATE CONSTRINGI promulgantem, et propterea »cum sanctis Patribus et scelerosos haereticos ab omni »reprehensione et condemnatione injuste liberari defi»nientem, IN AMPUTATIONEM CATHOLICAE ECCLESIAE DEFINI»TIONUM SEU REGULAE..... condemnatus sit" (XVIII). [1])

Istos canones serio meditanti mihi corruptas esse Honorii literas primum incidit suspicio. Non enim et Honorium a Concilio Lateranensi inter haereticos videbam connumeratum, quod quidem, saltem si literae ejus sunt genuinae, vel hanc ob causam fieri debuisset, quia, quae in literis leguntur verba, ea cum iis, quae in Typo reprobantur, exacte conveniunt. Nam, sicut per Typum, ita etiam per praedictas literas silentium circa unam vel duas Christi Domini operationes indicitur servandum: Sergius quippe, Cyrus et Sophronius in iis admonentur, ne novo et quod scandalum praebeat unius vel geminae operationis utantur vocabulo. Inter Typum igitur et literas nullum est veri nominis discrimen. Nam quod Typus *etiam de voluntatum*, literae econtra TANTUM *de operationum numero* silentium servari volunt, hoc vel ideo nec liberare nec excusare valet literarum scriptorem, quia Concilium Lateranense propter eandem rationem damnavit utrumque. Si igitur Typum, ut debuit,

1) Ibid. 354, 355.

reprobavit Concilium: cur non et Honorium reprobavit, eadem scilicet ac Typus docentem?

Conclusionem hanc non omnes Catholici scriptores admittunt. »Si quis objiciat," ait Binius, »de epistolis Honorii, quibus de hac controversia silentium »indicitur orientalibus, idem esse sentiendum, quod »de Typo Constantis in synodalibus judiciis definitum »fuit; respondendum est: ***sub temporis distinctione***; »quando enim haec controversia coepit oriri, sancte »et pie mandavit Honorius Papa de ea taceri....; »quando autem curiosa disputatione indictum silentium adversarii violassent et per publicas assertiones »publice affixas haeresim suam promulgassent, eamque »Conciliorum sententiis confirmassent, locus silentio »nec esse debuit, neque esse potuit"[1]).

Ceteris, quae in hanc responsionem animadverti possent, omissis, haec duo tamen observare volo, quorum primum non ipsum Binium, qui sexti Concilii acta corrupta esse sentit, sed eos auctores afficit, qui, admissa horum actorum integritate, eandem tamen illam responsionem proponunt. Scilicet, cum ea, quae Concilio Generali debetur reverentia vix, aut ne vix quidem, componi posse videtur responsum, ex quo sequeretur, sextum Concilium, cum Honorium ejusque literas damnaret, non satis attendisse ad temporis distinctionem; quis enim animus vere Catholicus ab accusando Concilio de tali

---

1) Labbe V, 1846. His similia habent (ut de antiquioribus taceam) Rohrbacher X, 170 et Constant, op. cit. 211.

negligentia non prorsus abhorret? Secundo loco observo, et Binium et ceteros auctores in eo convenire, ut maximam Typum inter et Honorii literas concedant esse similitudinem, quae quidem similitudo nobis sufficit, ut argumenta nunc jam proponenda omnem vim habeant.

ARGUMENTUM PRIMUM, EX VERBIS SUMMI PONTIFICIS S. MARTINI I ET CONCILII LATERANENSIS DESUMPTUM.

S. Martinum, sacramque, quam habuit, Synodum cum adversus Monothelitas eorumque scripta, tum praecipue adversus Paulum Patriarcham, promulgatumque ab eo Typum fortissississimis insurrexisse increpationibus, acta Concilii plenissime testantur. Sic v. g. haeretici vocantur »falsi nominis sacerdotes", qui, »difficultate ducti circa fulgorem luminis, divi»nam ejus confessionem novis verborum adinventio»nibus, temporibus etiam nostris vel decessorum »nostrorum, studuerunt perimere;..... Scripturas et »paterna testimonia corrumpentes, false exposuisse »noscuntur, in haereticam pravitatem convertentes »ea..... Utinam quidem latenter in semetipso tan»tummodo hoc malum circumscripsissent, et non »publice atque in ecclesiis ad laesionem multorum »et eversionem immaculatae fidei praedicassent in »scripto!"[1]) Et alio loco legimus: »Paulus autem, »praecessores suos in his superare contendens, non

1) Labbe VI, 83.

»solum in scripto per propriam epistolam, ad hanc »directam nostram Sedem, confirmavit et ipse contra »se superius memoratae Ectheseos irrationabilem »haeresim, sed etiam contradicens in scripto adver- »sus recta sanctae Dei Ecclesiae dogmata, audacter »praesumpsit paternis definitionibus contraire. Propter »quod justa ab Apostolica Sede et ipse depositionis »ultione percussus est. Insuper studuit ad cooperi- »mentum proprii erroris, et in hoc Sergium imitatus, »quibusdam subreptionibus uti et clementissimo »principi suadere, Typum exponere, qui Catholicum »dogma destrueret; in quo Typo omnes omnino »voces sanctorum Patrum cum nefandissimorum hae- »reticorum dictionibus enervavit"[1]). Similiter canone decimo octavo, cum ceteris haereticorum scriptis, Concilium damnat »scelerosum Typum, qui ex suasione »praedicti Pauli nuper factus est"[2]).

Supponamus jam Honorium, quae hodiedum nomine ejus feruntur, literas vere scripsisse: potuitne Martinus, potuitne Concilium eas silentio praeterire? Typum damnare, et, cum Typo convenientes, Pontificis literas intactas relinquere? Nonne Honorium saltem excusare, aut, quae iste scripserat, aliquo modo explicare debuit Martinus, dicendo v. g. »prae- »decessorem meum Honorium astutia sua haeretici »circumvenerunt, illumque nihil mali suspicantem »et ipsius, quae gerebatur, rei inscium, dolosis

1) Ibid. 90.
2) Ibid. 358.

»narrationibus ad conscribendas impulerunt literas, »quae ex ejus quidem intentione erumpentem haeresim »impedire debuissent, sed secundum nefandum ipsorum »votum haeresi fomenta dederunt"? Nullus, puto, inficiabitur. Et tamen nullam hujuscemodi Honorii excusationem in medium profert Concilium, de eo Synodi Patres Summusque Pontifex S. Martinus prorsus silent, quinimo contrarium potius innuunt.

Etenim S. Martinus, nulla facta Honorii nec mentione neque exceptione, ita alloquitur Concilii Patres: »Ideoque in scripto vel sine scripto orthodoxorum »preces minime despicientes apostolicae memoriae »nostri decessores non destiterunt praedictis viris »[intellige: *Monothelitis*] diversis temporibus consul»tissime scribentes, et tam rogantes, quamque regu»lariter increpantes, necnon per apocrisiarios suos, »ut dictum est, pro hoc maxime destinatos praesen»tialiter admonentes et contestantes, quatenus pro»prium emendarent novitatis commentum atque ortho»doxam fidem Catholicae Ecclesiae remearent: et neque »rogantes neque increpantes potuerunt eos a suo »conamine quoquo modo revocare"[1]. Et in epistola, cui cum eo subscripserunt ceteri Synodi Episcopi, quamque cum actis Concilii misit ad Constantem Imperatorem idem Pontifex, de haereticis loquens »ab »omnibus fere", inquit, »aliarum provinciarum Deo ama»bilibus Episcopis et ab Apostolicis Pontificibus, in hac »seniore Roma constitutis, in dilectione admoniti,

1) Ibid. 91.

»ut ab ejusmodi damnabili novitate abstinerent, ad »correctionem non venerunt"[1]). Similiter in epistola encyclica, ad omnes Christi fideles, ait: »Propter »pravas eorum adinventiones et praviora novitatis »commenta, et in interiora cordis, juxta beatum »Jeremiam, conturbati catholicae recordationis ante»cessores nostri Pontifices, non destiterunt admonentes »eos et contestantes recedere a sua hujusmodi haeresi »et sanam doctrinam amplecti..... Hoc autem con»sultissime non solum ipsi effecisse noscuntur, sed »et alii plures diversas provincias habitantes reveren»dissimi Episcopi, et majus est dicere, generalitates »Synodorum, per sua scripta non solum invitantes »emendare propriam haeresim, sed et nos ipsos, id »est, Apostolicam nostram Sedem conjurantes" etc. [2]) Tandem, ut cetera his similia testimonia omittam, ita scripsit Pontifex ad Trajectensem Episcopum S. Amandum: »Ante hos annos plus minus quindecim, »a Sergio falso Episcopo Constantinopolitano, in »auxilio habente tunc imperantem Heraclium, exe»cranda et abominanda haeresis pullulavit,.... quam »successor ejus Pyrrhus, idemque Episcopus, qui »ambitionis fastu Constantinopolitanam Sedem arri»puit, in deterius auxit. Pro qua re saepius Aposto»lica Sedes persuasionibus, contestationibus atque »increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus »ab ejusmodi errore recederent et ad lumen pietatis, »ex quo lapsi sunt, remearent. Et non solum hoc

1) Ibid. 6.
2) Ibid. 37.

»facere nullatenus voluerunt; sed et nunc successor »ejus Paulus, temerator fidei, Episcopus Constanti»nopolitanus, ALIUD NEQUIUS EXCOGITAVIT IN PRAEJUDICIUM »CATHOLICAE FIDEI CONAMEN, quasi quae a decessoribus »suis haeretice posita fuerunt destruens, et imperi»alem Typum, sacrilego ausu, totius plenum per»fidiae,a clementissimo principe nostro fieri persuasit"[1]).

Haereticis igitur ac Paulo imprimis ejusque Typo, quos non sine gravi indignatione damnaverat, omnes praedecessores suos Romanos Pontifices, eorumque ad extirpandam haeresim conamina constanter ita opponit S. Martinus, ut neminem eorum, ideoque nec Honorium excipiat: quae quidem agendi ratio ostendit, epistolas, cum Typo convenientes, non scripsisse Honorium.

Martini, Patrumque Lateranensium de Honorii literis silentio, tamquam argumento, quo adulterata esse sextae Synodi acta ostenderet, jampridem usus fuerat doctissimus Baronius. Cui Natalis Alexander respondet, silentium illud »tacitam potius fuisse »Honorii damnationem, quam defensionem. Enim»vero statim ac Cyrus visus est suspicionem ingessisse »vel levissimam receptae a Severino Ectheseos, statim »insurrexit Martinus et sua spe delusum ostendit »haereticum hominem, cum Apostolica Sedes impiam »Ecthesin reprobaverit. At vero cum recitata est in »eodem Concilii Lateranensis Secretario IV Pauli »Constantinopolitani synodica, qua laudat Honorium

1) Ibid. 384.

»ut Sergio concordantem et consonantem, ne verbum »quidem protulit Martinus, aut quivis alius Episco- »porum, in defensionem Honorii. Quod argumento »est, nihil ipsis occurrisse, quo labem consensionis »cum Sergio, saltem in suppressione vocabulorum »unius vel duarum operationum, et similis pene »in omnibus cum ipso loquendi modi ab Honorio »depellerent" [1]).

Verum speciosa ista objectio, quae non minus epistolarum, quas conscripsit Honorius, quam actorum sextae Synodi adversari videtur corruptioni, haud multo labore refellitur. *Primo* enim nego, aut Cyrum suspicionem ingessisse de suscepta a Severino Papa Ecthesi, aut S. Martinum hac suspicione decessorem suum purgasse. Nam Patres Lateranenses, ut justam in haereticos dicerent sententiam, eos non condemnaverunt, nisi per propria acta scriptaque convictos. Prolatis itaque in Secretario III iis, quae in gratiam Ectheseos sive gesserant sive scripserant Sergius et Pyrrhus, Cyri quoque ad Sergium lecta est epistola, qua summis laudibus extollebat Ecthesin, »quam", ajebat, »debet profiteri communis frater noster Severinus sanctissimus Deo juvante, »qui ordinatur in Roma"; quibus utique verbis, ut facile concedo vanam contineri haeretici hominis fiduciam, ita prorsus non video, quomodo vel levissima ex iis oriatur contra Severinum suspicio. Finita autem epistolae lectione, dixit S. Martinus:

1) Natalis Alexander V., 679.

»Per relectam in praesenti nobis epistolam, pro- »priam consonantiam Cyrus demonstravit, quam cum »Sergio et Pyrrho in expositione novitatis eorum ha- »bere ostenditur, similiter cum illis in scripto eam »confirmans. Ceciderunt autem a sua spe, mentiti »contra caput proprium. Non enim suscepta est »omnino aut admissa est secundum vanam eorum spem »magis autem condemnata est et anathematizata ab »apostolica auctoritate huc transmissa pessimae et prae- »sumptae novitatis eorum Ecthesis" [1]); quibus verbis non praedecessoris sui memoriam defendere, sed haereticorum vanam spem manifeste ostendere voluit Pontifex.

Secundo loco respondeo: lectam quidem fuisse in Secretario IV Pauli ad Theodorum Papam epistolam, verum non eo fine, ut ea epistola confutaretur, sed ut ipse Paulus haereseos convinceretur. Praeterea, Paulus ille laudibus utique extollit Honorium, sed ut cum Patribus, non ut cum Sergio concordantem. »Sed et omnes pietatis doctores et praedicatores", inquit, »hujusmodi UNIUS VOLUNTATIS mente detinentur »QUIBUS concordantes et consonantes facti sunt Ser- »gius et Honorius" [2]). Ex quibus denique verbis plane liquet, non aliam a Paulo prolatam fuisse Honorii accusationem, quam quod ille Pontifex unicam in Christo professus esset voluntatem. Quam accusationem si Patres Lateranenses refellere voluissent, invocata, quam pro Honorio Joannes IV composuit,

1) Labbe VI, 210.
2) Ibid. 227.

apologia iis ad hoc suffecisset. Quod si illud tamen non fecerunt, nonne sequi videtur, eos non defendendo Honorio, sed alteri fini fuisse intentos?

Respondeo *tertio*. Ipsum illud, quod occasione praedictae Pauli epistolae et S. Martinus et Lateranense Concilium servaverunt silentium, corrupta esse Honorii verba luculenter ostendit. Nulla enim in tota Synodo facta est Honorii mentio, nisi in hac tantum, quae haereticam de Christi voluntate ei tribuebat sententiam, Pauli epistola. Si igitur, quae nunc in Honorii literis leguntur de *silentio circa Christi operationes servando* verba, tunc quoque in eis legebantur, nonne hanc occasionem debuisset arripere Concilium, ut ea aut excusaret aut damnaret? Atqui neutrum horum fecit, sed prorsus siluit; cujus silentii, me quidem judice, non alia, quae probari possit, datur explicatio, quam quod Honorii literae ea verba nondum continebant. Nisi forte quis dicat, ex industria Patres Lateranenses, atque hanc potissimum ob causam servasse silentium, ut oblivioni mandarentur reprobandae Honorii literae. Sed praeterquam quod nefas est, sacram Synodum, optimumque, quem Martyrem Ecclesia veneratur, Pontificem, nullo adducto argumento, tantae arguere dissimulationis, insanae praeterea mentis hominibus, non sapientibus Concilii Patribus, stultum hujusmodi propositum adscribere licet. Quid enim? Nonne in Constantinopolitano tabulario Honorii literae conservabantur? nonne ipse ille Paulus, cujus Typum Synodus damnabat, ipsas illas epistolas, ad impium de Domini voluntate dogma

adstruendum invocaverat? Nonne certo certius praevidere debebant Concilii Patres, eundem illum Paulum, ut earum cum damnato Typo ostenderet convenientiam, easdem literas denuo esse prolaturum? Et hisce praevisis, tamen siluissent? Quis est, qui tanto sapientissimorum virorum coetui tantam adscribere audeat dementiam!

S. Martinum ejusque Concilium non in ea fuisse sententia, ut damnatum Typum inter et Honorii epistolas ullam admitterent similitudinem, easque igitur literas tunc temporis non tales fuisse, quales nunc circumferuntur, ex dictis satis constare puto.

Objici tamen adhuc potest, ignorantiae forsan adscribendum esse silentium S. Martini, quippe qui Pontifex Honorii literas non cognoverit. Quae enim capite praecedenti de episcopii Lateranensis depraedatione conjecimus — hac nempe in spoliatione tum Sergii ad Honorium, tum hujus Pontificis ad Sergium scripta, eorumque apographa, ab Isacio furto sublata Constantinopolimque ad Imperatorem missa fuisse, quo facilius vir iste, hisce sublatis, Severinum Papam ad probandam Ecthesin induceret, — ea per Concilii Lateranensis acta confirmantur. Singulorum namque haereticorum scripta, e Lateranensi tabulario prolata, antequam in reos sententiam diceret, recitabat atque examini subjiciebat sancta Synodus; Sergius vero ut erroris convinceretur, ejus quidem ad Cyrum epistolam, qua hujus haeretici novem capitula approbaverat, ceteraque, quae pro Ecthesi confirmanda conscripserat,

recitari jussit Concilium, sed, quam ad Honorium miserat epistolam, ejus ne ullam quidem fecit mentionem.

Verum Honorii literae licet non adessent in Lateranensi tabulario, ea tamen quae hisce literis continebantur, ignorare non potuit S. Martinus. Undecimo enim post mortem Honorii, decimo quinto post literas ad Sergium scriptas anno habita fuit Lateranensis Synodus: eorum igitur virorum, quibuscum de exorta nova haeresi egerat Honorius, superstites erant plurimi. De ipsis ejus Pontificis literis, utpote a Pyrrho et Paulo pro sua de Christi voluntate haeresi saepius invocatis, Romae interea multum fuerat disputatum. Deinde istius negotii quomodo ignarus esse potuit S. Martinus, qui, anno vix quarto post obitum Honorii legatione functus Constantinopolitana, ut prudenter in haereticos de doctrina inquireret, antequam in urbem regiam proficiscebatur, pro sua, qua praeditus erat, prudentia, omnia profecto, quae ad haeresim spectabant, scripta ac documenta suis oculis perlustravit? Praeterea Constantinopoli commorans socium in legatione eum habuit Sericum, de cujus scriptis, posteriori ad Sergium epistola, mentionem facit Honorius. Quomodo igitur et ab illo Serico res hujus Pontificis vere gestas, et ex ipso Monothelitarum ore accusationes ab haereticis in Honorium prolatas, non saepe numero excepisset? S. Maximus denique, qui Honorium, cujus priorem noverat epistolam, tamquam haereseos laudat adversarium, S. Martino,

teste Theophane [1]), auctor fuit, ut Lateranensem convocaret Synodum. Quae rerum adjuncta qui diligenter perpendit, ab eo, ni fallor, in dubium non poterit revocari, quin, quae Honorii literis continebantur, ea optime S. Martinus pernoverit.

Expositum argumentum breviter ita contrahimus. Honorii literas novit S. Martinus; nefas ac stultum est dicere, ex industria eum atque ut praedecessoris memoriae parceret, servasse silentium; Honorium itaque, in supprimendo duplicis operationis vocabulo cum Typo convenientem, aut una cum Typo damnare, aut saltem aliquo modo excusare debuit; at neutrum horum fecit, sed econtra *omnes* praedecessores suos, Honorio nullatenus excepto, haeresi restitisse affirmat; constat itaque, quae in praedictis literis Typo similia hodie reperiuntur verba, ea non verba esse Honorii, sed posterioris aevi additamenta.

ARGUMENTUM SECUNDUM: TESTIMONIUM STEPHANI, DORENSIS EPISCOPI.

Stephanus ille, Secretario secundo supra jam memorati Lateranensis Concilii inter Patres synodales admissus, libellum obtulit, ex quo, nisi omnia me fallunt, validissimum pro Honorii defensione deducimus argumentum. Cujus libelli hic est tenor:

Sanctae Apostolicae Synodo, secundum gratiam Dei et regularem auctoritatem praesidentis in ea Martini ter

1) Ibid. 385.

beatissimi Papae congregatae in hanc antiquam almamque urbem Romam, pro confirmatione sacra et defensione paternarum et synodalium Catholicae Ecclesiae definitionum vel promulgationum, Stephanus, per misericordiam Dei Episcopus et primus Hierosolymitanae sacerdotalium Sedium existens dioeceseos, suggero, quae subter adnexa sunt.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater miserationum et Deus totius consolationis, qui consolatus est nos, per sacratissimum in idipsum et sacerdotalem conventum Sanctitatis Vestrae, *in omni tribulatione nostra*, quae facta est nobis propter sanctam Catholicam ejus Ecclesiam, ab adversantibus verbo fidei. Hanc etenim, Beatissimi, in pace et tranquillitate consistentem veluti fluctus immanes irruentes per suam haeresim turbaverunt, prius quidem Theodorus Pharanitanae Ecclesiae quondam Episcopus: postmodum autem Cyrus Alexandrinus antistes, item Sergius Constantinopolitanus, necnon successores ejus Pyrrhus et Paulus.

Hi namque Apollinaris et Severi dogmata haereticorum renovare ausi sunt, per hoc, quod praedicaverunt unam voluntatem et operationem divinitatis et humanitatis Christi dogmatizare, quorum scripta testantur contra omnem praeseminatam orbem terrarum, ad deceptionem simplicium; qui studuerunt non solum exponere audacter et conscribere, sed et divulgare contra paternas et synodales Ecclesiae institutiones in aperto nisi sunt, et tam per capitulorum seriem super ambone cum anathematis vinculo, qui sic non saperet, et secundum sensum eorum recitatam, quamque per sententias et subscriptiones ac gestorum monimenta. Ac per hoc universam Catholicam Ecclesiam in his conturbantibus memoratis viris, juxta quod beatus Jeremias inquit: *Confusi sumus, quia audivimus improperium: dereliquimus in confusione vultum nostrum, quia introierunt alienigenae in sanctuarium nostrum.*

Et propterea aliquando quidem aquam capiti et oculis fontes lacrymarum exquirebamus, ubique omnes fideles

hujusmodi miseram calamitatem plorantes; aliquando autem pennas columbae secundum beatum David, et volemus et annuntiemus haec omnia omnium propositae Sedi [1]), dico autem, summae vestrae et principali, ad medicinale consultum emersi vulneris: quippe quoniam hoc potestative olim et ab antiquitus facere per apostolicam sive canonicam consuevit auctoritatem, dum aperta lucubratione non solum claves regni coelorum creditae sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem Evangelio gratiae credentibus justa claudere magnus secundum veritatem et princeps Apostolorum meruit Petrus; sed etiam et pascere primus jussus est oves Catholicae Ecclesiae, cum Dominus dicit: *Petre, amas me? pasce oves meas*; et iterum ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spiritales meruit fratres, utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem.

Quod utique sciens beatae memoriae Sophronius, quondam Patriarcha sanctae Christi Dei nostri civitatis, sub cujus dioecese fungebar sacerdotale officium, non acquiescens omnino carni et sanguini, sed sola, quae Christi sunt, juxta Sanctitatem Vestram excogitans, studuit meam humilitatem sine mora pro hujusmodi tantummodo capitulo cum sua suggestione ad hanc Apostolicam magnamque dirigere Sedem, in scripto atque sine scripto, per me supplicem vestrum omnium praedictorum virorum adaperiens novitatem, quam videlicet contra orthodoxam fidem memorati viri exponere ausi sunt.

Quippe nam et ipse, dum adviveret, superius dictis temeratoribus in Oriente validissime contradixit, contestans

1) Textus Latinus habet: *sed;* Graecus vero et contextus postulant: *Sedi.*

eos et admonens, ut a propria haeresi quiescerent et ad rectam Patrum fidem remearent, dans in duobus libris sexcenta testimonia Patrum, ad evictionem impietatis eorum et veritatis ostensionem. Quos quidem revocare minime valuit; commovit autem eos contra se ad insidias et malignam detractionem; sed nullo modo propter hoc reveritus est omnino ille, nec timuit timorem, ubi non est timor, quoniam *justus sicut leo confidit.*

Zelo autem Dei et fiducia repletus, duxit me indignum et statuit in sancto Calvariae loco, ubi propter nos ipse, qui super nos secundum naturam Deus est, Dominus noster Jesus Christus sponte crucifigi secundum carnem dignatus est; et ibi alligavit me vinculis indissolubilibus, dicens: „Tu dabis rationem ipsi, qui propter nos secun„dum carnem in hoc sancto loco sponte crucifixus est „Deus, quando cum gloria in terribili ejus adventu judi„caturus est vivos et mortuos, si distuleris et postposueris „fidem ejus periclitantem, licet ego hoc facere corporaliter, „ut nosti, propter emersam ex nostris peccatis incursionem „Sarracenorum praepedior. Quantocius ergo de finibus „terrae ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam „Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, „pervenias, non semel, non bis, sed multo saepius ape„riens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum „veritatem, quae in istis partibus mota sunt, et non quies„cas, instantius expetens atque exorans eos, donec ex apo„stolica prudentia, quae in Deo est, ad victoriam judicium „perducere debeant et noviter introductorum dogmatum „perfectam faciant secundum canones destructionem et „ne, secundum quod beatus Apostolus ait, sicut cancer „pascuam in amplius inveniant depascentes simpliciorum „animas."

Igitur in his pertimescens ego atque perterritus, propter impositam mihi terribilem in tremendo et venerabili loco conjurationem, nec non et creditum mihi ex Dei permissu episcopale ministerium considerans, sed et supplica-

tiones omnium pene habitantium orientalium tractum reverendissimorum Episcoporum et Christianorum populorum, consonanter praedicto beatae memoriae Sophronio ad hoc me invitantium, utpote primum Hierosolymitanae dioeceseos, pervenire, *non dedi*, secundum scripturam, *somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem et requiem temporibus meis*, quatenus adimplere debuissem hujusmodi desiderabilem jussionem; sed absque ulla mora propter hoc ipsum tantummodo huc properavi; a quo tempore tertio visus sum vestris apostolicis adesse vestigiis, expetens ac deprecatus, ut quod ille et omnes libenter postulare noscuntur, hoc est, fidei Christianorum periclitanti manum porrigere.

Quod addiscentes contrarii, non levibus me implicuerunt afflictionibus, praeceptiones propter me per loca et provincias dirigentes, quatenus comprehendi et ferris constrictus ad eos deberem destinari, sicut omnes cognoscunt. Sed Dominus auxiliatus est mihi et liberavit me ab omnibus persequentibus me, ideoque ad propositum currentem et ad bravium properantem vestrae Apostolicae Sedis. Neque despexit Deus preces cum lacrymis oblatas supplicum suorum, sed excitavit non equidem mediocriter praecessores apostolicosque praesules in commonitione nec non contestatione praedictorum virorum, licet nullo modo eos flectere potuerunt.

Excitavit autem et nunc, ex Dei voluntate qui praesidet, dominum nostrum Martinum ter beatissimum Papam, quem suis Ecclesiis condonet sanum et incolumem, longaevum, recte praedicantem verbum veritatis, incomparabiliter ac mirabiliter zelantem zelum Dei, qui et omnes vos sanctissimos sacerdotes ejus ad se congregare pro destructione quidem novitatis, conservatione autem paternorum Ecclesiae Dogmatum studuit; quos postulans conjuro opus perficere gratiae, in quo per se Deus vocavit vos, ut, secundum quod beatus Paulus ait, abjiciatis malignum a vobismetipsis. Vos namque postulans, vobis scribens Romanis, praecepit attendere eos, qui seditiones et scandala

praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinare ab illis. Quoniam hi Christo Deo nostro non deserviunt, sed suo ventri et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.

Pia namque Patrum fides, sicut nostis Beatissimi, per novitatem nullatenus patitur maculari, roborari autem in orthodoxis consuevit apostolicisque dogmatibus. Qua de re omnem malitiam abjiciens, unum eundemque Dominum nostrum et Deum Jesum Christum in duabus naturis confitetur substantialiter unitis inconfuse et indivise, nusquam propter unitionem amputata differentia naturarum, magis autem conservata proprietate utriusque naturae, et in unam personam et in unam subsistentiam concurrente. Atque ideo naturaliter Deum perfectum, absque tantummodo peccato, eundem pie praedicare dignoscitur. Si vero Deum naturaliter perfectum et hominem naturaliter perfectum eundem esse veraciter praedicat, certum quia imperfectus nullo modo consistit secundum divinam et humanam ejus eidem substantialem voluntatem et operationem; sed indiminute juxta numerum naturarum, naturales habuit voluntates et operationes, quibus divina et humana volens et operatus, Deus pariter et homo secundum veritatem idem existens, naturaliter cognoscebatur.

Nam si imperfectus esset, juxta sensum contrariorum, in divina et humana ejus naturali voluntate et operatione, perfectus non esset Deus, neque perfectus idem homo; magis autem nec penitus Deus, nec homo existeret, dum constet, quia Deus naturaliter non est, qui divinam secundum naturam voluntatem et operationem non habet; nec iterum homo naturaliter poterit esse, qui minime habet humanam secundum naturam voluntatem et operationem. Deus enim imperfectus non est, nec homo idem imperfectus: quoniam in naturali perfectione utraque cognoscitur Christi natura, ex quibus et in quibus consistit inconfuse et indivise. Et propterea per utramque ejusdem naturam perfectus erat idem naturaliter.

Unde oportet hujusmodi quidem novitates abjicere, in perfectione autem naturarum, quae in Christo Deo in unitate salvantur, et naturalium ejus voluntatum et operationum roborare intransgressibiliter Patrum orthodoxam fidem. Ideoque unius ejusdemque sicuti unitas duas naturas, ita consequens est et naturales confiteri voluntates et operationes, divinam et humanam, ad plenam ostensionem utriusque ejus naturae verae perfectionis, utpote in utraque natura nullam diminutionem habente essentialis et naturalis proprietatis, id est, voluntatis et operationis. Quoniam proprietas naturalis est sine dubio naturae naturalis ejus voluntas et operatio, ex quibus firmius sancti Chalcedonensis Concilii stabilita est definitio, Christi Dei indiminute conservans mysterium, quam illi, de quibus ante diximus, destruere attentantes, et aliud malum nuper excogitaverunt.

Nam Paulus Constantinopolitanus suasit clementissimo principi nostro *typum* exponere fidei, in quo typo sanctorum Patrum doctrinas cum nefandissimorum haereticorum pravitatibus funditus amputaverunt, nec unam nec duas debere voluntates aut operationes Christi Dei promulgantes quempiam confiteri: facile eis licere credentibus, aliquando quidem unam, aliquando autem nec unam in eodem praedicare: ac per hoc aut Deum tantummodo, utpote divinam tantummodo, aut dumtaxat hominem purum, utpote humanam habentem tantummodo: aut neque Deum, neque hominem eundemque asserentes, utpote neque divinam, neque humanam habentem voluntatem et operationem, sed sine voluntate et operatione secundum eos omnino existentem. Quod utique sanctorum Patrum et praedicti sancti Chalcedonensis Concilii definitio omnino recipere abnegat, quoniam salvari asserit utriusque naturae, ex quibus et in quibus Christus consistit, indiminute naturalem et post unitionem proprietatem. Igitur praedictam sanctam Synodum, et omnes sanctos Patres projicere volentes, haec eadem dogmatizare et scribere contra fidem ausi sunt.

Sed et hoc doceo Sanctitatem Vestram, quia temporis attendentes perturbationem, multos in Oriente per ambitionem decepisse noscuntur. Sergius namque, quondam Joppensis Episcopus, post recessum gentis Persarum, loci servatam Sedis Hierosolymitanae arripiens, non quidem per ecclesiasticam auctoritatem, sed saecularem potestatem contra canones, ibidem sub Sedem Hierosolymitanam pertinentem, aliquos Episcopos ordinavit, et cum ipse minime fuerat confirmatus, alios ordinare praesumpsit. Hi autem propterea scientes veraciter inanem esse ordinationem eorum, per propria scripta consentientes, applicuerunt affectatae se novitati, quae a Paulo Episcopo Constantinopolitano defenditur, quasi ex hoc sperantes enormiter, quod impossibile est, confirmari. De quibus et antea Apostolicae Sedi innotui, id est, beatae memoriae decessori vestro Theodoro, jussitque mihi indigno per sacram suam praeceptionem, ordinans me loci servatorem per apostolica ejus scripta, quatenus tam ea, quaeque fuissent ecclesiastica capitula, peragere debuissem, et canonice, si nullatenus emendarentur, qui sub denominato praetextu ordinati sunt Episcopi, deponerem eos. Quod et fecisse me certum est, et praecipue quoniam in errorem a veritate recedentes sponte delapsi sunt, tantumque illos recepi secundum jussionem ejus, qui libellum poenitentiae obtulerunt et professi sunt in scripto, conservare indesinenter et amplecti atque praedicare sanctorum Patrum et Synodorum doctrinas; quorum libellos nuper deferens obtuli sacratissimae praesidenti Sanctitati Vestrae, Martino ter beatissimo Papae, ab eo quod aliqui eorum merito recepti et confirmati sunt, aliqui vero pro tuitione Catholicae Ecclesiae condemnati sunt.

Ideoque exoro, ut minime despiciatis humilitatis meae et omnium orientalium orthodoxorum sacerdotum et populorum nec non praedicti domini mei sanctae memoriae Sophronii, super tali capitulo instantias assiduasque precationes, Vestrae Beatitudini per meam humilitatem cum lacrymis oblatas, sed, sicut luminaria in universo mundo

verbum vitae retinentes, introductas extinguite tenebras Apollinaris et Severi nefandissimarum haereseum per superius memoratos viros, temporibus etiam nostris, procaciter germinatas, qualiter funditus extincta hujusmodi caligine, Lucifer nobis resplendeat per vos sanctissimos et dogmatica definitio omnes ubique laetificans, quam gloriosi Ecclesiae Patres, sanctaeque et Universales quinque Synodi per propria piissima dogmata in aeternae vitae firmam hereditatem praedicasse noscuntur. Et subscriptio.

Stephanus, per Dei misericordiam Episcopus Dorensis et primus sanctae Synodi sub Hierosolymorum Patriarcha Sede consistentis, praesenti libello a me dictato, manu propria subscribens obtuli die sexta Octobris mensis, feria tertia, indictione octava [1]).

Ex hisce, quas varias ob causas pulcherrimas dicimus, literis invicte ostendi posse videtur, tum generatim utramque Honorii epistolam ab haereticis fuisse corruptam, tum speciatim posteriori illius epistolae hanc ultimam ab iisdem insertam fuisse periodum: *Quamquam hos, quos ad nos praedictus frater et Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur*, QUOD INSTANTISSIME PROMISERUNT PRAEDICTUM VIRUM ESSE FACTURUM, *si etiam Cyrus frater et Coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit.* Cum hac enim periodo componi prorsus nequit Stephani epistola, quam quidem, ut cum ea componerent, male intellexerunt auctores. Primo enim Monothelitarum insidias, de quibus Stephanus loquitur, in PRIMO suo Romano itinere illi positas fuisse, false asserunt.

1) Labbe VI, 101—112.

Deinde, utrum vivente an mortuo Honorio Romam advenerit, id est, utrum cum ipso Honorio de haeresi umquam egerit Stephanus, sine ulla causa in dubium revocant. Postremo, duplicem ad Honorium legationem misisse fingunt Sophronium; alteram statim post adeptam patriarchalem Sedem, anno **634**; alteram, cum invalesceret haeresis, anno quidem **636**, qua tantum posteriori legatione missum fuisse Stephanum ajunt [1]).

Prima assertio facile refellitur. Non enim vivente, sed mortuo Honorio, quinimo nonnullis post ejus obitum annis, cum nempe Theodorus Papa Paulum Patriarcham deposuisset, ac Stephanus Dorensis TERTIO jam Romam adiret, tum demum Monothelitae insidias posuerunt Catholicis, eosque persecuti sunt, quod ipse Stephanus testatur apertis verbis. Postquam enim dixerat: »a quo tempore TERTIO visus »sum vestris apostolicis adesse vestigiis, expetens et »deprecatus, ut quod ille et omnes libenter postu»lare noscuntur, hoc est, fidei Christianorum peri»clitanti manum porrigere," statim et nullo interposito verbo ita pergit: »QUOD ADDISCENTES [scilicet, ipsum *tertio* Romam proficisci] contrarii non levibus »me implicuerunt afflictionibus"; et tandem, quae in ipsum moliti essent, expositis, »Sed Dominus," ait, »auxiliatus est mihi, et liberavit me ab omni»bus persequentibus me, ideoque ad propositum

1) Ita v. g. Fleury VIII, 172; Rohrbacher X, 85; et, licet ipse praefatam periodum epistolae insertam esse suspicetur (pag. 175), recens auctor Constant II, 93, 137, 139.

»currentem et ad bravium properantem vestrae »Apostolicae Sedis." Quod si quis hic a me quaerat, qui tandem fuerint isti persecutores, a vero non multum aberrare mihi videor, si eos me suspicari respondeo Episcopos, quos auctoritate Theodori Papae deposuisse se, narrat ipse Stephanus.

Quod ad secundum attinet, utrum ipso cum Honorio de haeresi Stephanus egerit, injuria in dubium revocatur. Nam ante captam non solum, verum etiam ante obsessam a Saracenis urbem Hierosolymitanam, legati munus ipsi demandatum fuisse, patet ex verbis Sophronii, quippe qui Praesul ad eum dixerit: »Ego hoc facere corporaliter propter »emersam ex nostris peccatis incursionem Saracenorum »praepedior." Si igitur, quod nemo non affirmat, anno 638, mense Octobri, vita functus est Honorius, sique, quod ex auctoribus, quos hic impugnamus, affirmant non pauci, urbs Hierosolymitana, post duorum annorum obsessionem, anno 636, a Saracenis capta est, procul dubio Romam pervenisse dicendus est Stephanus, vivente adhuc Honorio. Idem quoque admittendum est, etiamsi secundum eam opinionem, quae hodie communior est, anno tandem 637 Saraceni urbem cepissent. Quinimo si paucis iis scriptoribus, qui anno demum 638 tempore verno, post quatuor mensium obsidionem, urbem captam esse docent, vera esse, quae adstruunt, concederemus, vel hoc in casu ante Honorii obitum Romam venisse atque haereticorum conamina Pontifici exposuisse jure merito perhibetur Stephanus,

cum »perterritus", ut erat, »propter terribilem con»jurationem", iter Romanum, ut ipse testatur, quantum fieri posset, festinaverit.

Sed omnis hac de re dubitatio prorsus excluditur per ea, quae tertio nunc loco animadvertenda veniunt in duplicem illam, quam Sophronius Romam miserit, legationem. Eam vanum esse figmentum, sic ostendo.

Sophronius, quum exorta vix haeresi Monothelitarum impiam mentem, haereticasque machinationes statim pernosceret, totum se illis opposuit. Hanc ob causam ipsi, ad Sedem Hierosolymitanam provecto, nihil magis cordi esse poterat, quam ut »*ad Apostolicam Sedem*," uti ajebat, »*ubi orthodoxo*»*rum dogmatum fundamenta existunt*", de eorum pravo errore referret; quod ii omnes auctores fatentur, qui Sergium metu ductum, ne a Sophronio praeveniretur, literas ad Pontificem dedisse ferunt. Legatis igitur, quos misit ad Summum Pontificem, hoc imprimis Sophronius demandavit summi momenti negotium. Quis autem sibi persuadere poterit, Sophronium, hisce legatis, absoluta nondum legatione, Romae morantibus, alteram pro eodem illo negotio Romam misisse legationem? Si vero, iis reversis ac Papae praeceptum referentibus, ne quis duarum operationum vocabulo, utpote novo et inusitato, in posterum uteretur, alium quidem legatum, eumque Stephanum Dorensem (qui insidiosas haereticorum artes ac impias fraudes clarius exponeret), Romam mittere decrevit Sophronius: nonne illi mandare, ejusque menti

alte inculcare debuit, ut de malis, quae ex praedicto illo, quod, re non satis cognita atque haereticorum fraude deceptus dedisset, praecepto, certo certius sequerentur, gravissimis quidem verbis admoneret Summum Pontificem? Sed horum omnium Sophronius ne ullam quidem fecit mentionem; econtra, cum obtestatur Stephanum, manifeste supponit, exortam haeresim eo ipso, quo Stephanum obsecrabat, momento Pontifici esse prorsus incognitam. Ita enim Stephanum alloquitur: »Quantocius ergo de finibus »terrae ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fun»damenta existunt, pervenias, non semel, non bis, »sed multo saepius *aperiens* [γνωρίζων] sacris viris »ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, »quae in istis partibus mota sunt." Similiter ipse Stephanus ait: »Sophronius studuit meam humili»tatem sine mora [ἀνυπερθέτως: statim post adeptam »patriarchalem dignitatem?] pro hujusmodi tantum»modo capitulo ad hanc Apostolicam dirigere Sedem, »per me [δι' ἐμοῦ] supplicem vestrum omnium prae»dictorum virorum adaperiens [ἐκδιηγουμενος] novi»tatem." Tandem initio jam Patriarchatus Sophronii Stephanum legati munere functum fuisse, ex memorata a Sophronio Saracenorum invasione, aliqua saltem ratione, videtur confirmari. Anno enim 634 Syriae ac Palaestinae regiones invadere coeperunt Saraceni.

Stephanum igitur Dorensem, si qua fides iis, quae hodiedum circumferuntur, Honorii literis habenda

est, ab eo Pontifice instructum dicere oportet, »ne »duarum operationum vocabulum deinceps praedicare [Sophronius] »innitatur"; Stephanum, inquam, in cujus auribus terribilis illa ac venerando in loco habita Sophronii obsecratio tot jam labentibus annis, semper velut praesens, resonabat; Stephanum praeterea, qui ob hanc obtestationem non semel aut bis, sed tertia etiam vice, idque persecutionis metu non deterritus, Romam petiit ad haeresim impugnandam; Stephanum denique, qui, hanc quidem ob causam quod Edictum istud duarum operationum vocabulum prohibebat, Typo totum se opposuit, Typum »*aliud malum nuper a Paulo Constantino*»*politano antistite excogitatum*" vocavit, Typique condemnationem a Synodo Lateranensi instantissime postulavit. Et ille quidem Stephanus non solum Honorii praeceptum, quamvis cum damnandis Typi verbis simillimum, nec commemorat nec damnat, non solum S. Martini Papae *praecessores Apostolicosque praesules* (profecto et Honorium, quocum de haeresi egerat, inter eos comprehendens) *a Deo non mediocriter excitatos* ait *in commonitione necnon contestatione praedictorum virorum*, *licet nullo modo eos flectere potuerunt*, sed quod haec omnia longe superat, silentium de duabus Christi Domini operationibus in posterum servaturum esse Sophronium, hujus Patriarchae nomine, Summo Pontifici INSTANTISSIME PROMISISSET! Nonne, etiamsi nulla alia adessent argumenta, ex solo isto capite, luce meridiana clarius literarum patet corruptio? Mendacem

Sergium, qui in sua ad Honorium epistola Sophronium promisisse silentium finxerat, imitati Monothelitae similem fictam promissionem, Honorii responso ab ipsis malitiose insertam, Stephano Dorensi tribuerunt.

ARGUMENTUM TERTIUM: SILENTIUM MONOTHELITARUM POST TYPI CONDEMNATIONEM.

Quum Typum inter et Honorii, quae dicuntur, literas magna, ut vidimus, consistat similitudo, cumque Patres Lateranenses, non notato sed laudato potius, saltem implicite, Honorio, *scelerosum Typum* et, cum ceteris Monothelitis, *Pyrrhum et Paulum*, *in sua perfidia permanentes*, nominatim et solemniter anathemati subjecerint, nemo profecto, cui genuinae sunt Honorii literae, conjicere non debebit, gravissimis quibusque in S. Martinum Papam et Lateranense Concilium usos fuisse praedictos haereticos criminationibus atque invectionibus. Pyrrhus enim, anno 652 iterum ad Sedem Patriarchalem promotus, anno jam fere 640 Romanis Pontificibus, Ecthesin reprobantibus, sententiam atque auctoritatem opposuerat Honorii. Anno praeterea 645, idque non obstante, quam pro Honorio Joannes IV conscripsit, apologia, idem in sua cum S. Maximo disputatione ad ejusdem Honorii verba provocaverat. Idipsum, anno proxime sequenti, in sua ad Theodorum Papam epistola fecerat Paulus Patriarcha. Uterque nempe ad Ecthesin suamque de una Christi voluntate hae-

reticam sententiam stabiliendam, ad Honorii verba, licet ex praeoccupata opinione explicata, appellaverat. Nonne igitur hi Patriarchae, qui, quod minime negligendum est, ipsas Honorii literas in Constantinopolitanae Ecclesiae tabulario repositas et conservatas — ex eo enim tabulario in sexto Concilio prodierunt — prae manibus habebant, literas illas magno cum strepitu in lucem proferent, sanctoque Martino publice insultabunt, quod Typum, propter indictum circa Christi operationes silentium, condemnasset, quamvis decessor ejus Honorius, idem silentium commendans, scripsisset ad Sergium: »Haec nobis»cum fraternitas vestra *praedicet*, sicut et nos ea »vobiscum *unanimiter praedicamus*, *hortantes vos*, »ut, unius vel geminae novae vocis inductum opera»tionis vocabulum *aufugientes*, unum nobiscum Do»minum...... fide orthodoxa et unitate Catholica »praedicetis"!

Haec ut agant Haeresiarchae, jure exspectat, quinimo exspectare debet, quicumque integras ac genuinas, uti hodie circumferuntur, habendas esse censet Honorii literas. Quam quidem exspectationem vide quantum fallat eventus. De Honorio ejusque, quod ad Stephanum dedit, praecepto silet Paulus, quem, ut infra ostendemus, pro haeresi vel ipse manuscripta corrupisse constat! de Honorio silet Pyrrhus! de Honorio silet Pyrrhi successor Petrus, et ipse Monothelita! de Honorio prorsus silent omnes omnino Monothelitae! a tempore Typi condemnati usque ad sextum Oecumenicum Concilium, id est,

ab anno 649 usque ad annum 680, nullus eorum in Typi gratiam Honorii invocat nomen et auctoritatem, nec cuiquam in mentem venit, ut, pro Typi defensione, Typi consimiles Honorii literas e tabulario Constantinopolitano publice proferat!

Ex praedictis ita concludimus. Quando de damnata Ecthesi res agebatur inter Catholicos et haereticos, hi invocabant, illi defendebant verba, quae *de Christi una voluntate* dixerat Honorius; sed *de silentio circa Christi operationes*, quod indixisse perhibetur Honorius, quodque etiam per Ecthesin praecipiebatur, nulla, nec ab haereticis, facta est mentio; quae haereticorum agendi ratio, supposita etiam epistolarum integritate, ex ipsius haereseos indole, aliquo modo saltem, explicari posset. Unicam enim Christo adscribentes voluntatem, errorem profitebantur Monothelitae; silentium vero de Christi operationibus observari jubentes, occultabant tantummodo fidei veritatem. Quid mirum igitur, si, minori, ut ita dicam, omisso, majus, id est, erroris professionem impugnarunt Catholici, defenderunt haeretici.

Sed postea, cum Typus esset damnatus, non alia quam de silentio, per Typum indicto, agebatur quaestio. Qui igitur fit, ut iidem illi haeretici, qui pro damnata de una Christi voluntate doctrina tam saepe ad sententiam Honorii provocaverant, damnato jam nunc, quod servari oporteret, silentio, illius Pontificis, idem illud silentium praecipientis, neque auctoritatem invocaverint, neque verba in medium adduxerint, neque ullam denique mentionem fecerint?

Hujus rei, mea quidem sententia, non alia est ratio, quam quod silentium illud tunc temporis Honorii literis nondum erat insertum.

Opponi hic posset, vim tantum negativam habere illud argumentum, quum ea, quae post Typum condemnatum de Honorio dicta sunt ab haereticis, forsan memoria exciderint. Respondetur igitur primo, aliquam saltem vim positivam negari non posse argumento, quum fieri non potuerit, ut, quae in contraria suppositione de Honorio dixerint haeretici, ea plane deperdita sint omnia. Respondeo secundo, vim stricte positivam tertio isto argumento tribui per sequens quartum et praecipue per quintum argumentum, quae, licet proprie cum eo unum quoddam constituant, majoris tamen claritatis gratia distincte proponuntur.

ARGUMENTUM QUARTUM: MONOTHELITARUM CUM ABBATE S. MAXIMO DISPUTATIONES.

Solemnis Typi condemnatio, hortante S. Maximo, a S. Martino pronuntiata finem quidem fecit iis, quae in Honorium adornabantur, accusationibus, sed haereticorum in utrosque viros sanctissimos haud parum concitavit furorem. S. Martinum enim, in vinculis conjectum, Constantinopolim perductum, ac falso missae ad Saracenos pecuniae crimine accusatum, tandem in exilium deportaverunt. S. Maximum autem, vinculis similiter constrictum, primum Constantinopolim, deinde varios in exilii locos deduxerunt, nihil interea intentatum relinquentes, quod eum mo-

veret, ut a vera fide deficeret. Ex ipsorum cum sancto Abbate disputationibus quaedam hic proferuntur, tum ut Maximi, quem, et priorem Honorii epistolam novisse et Typum toto animo reprobasse, supra vidimus, filialis ac constans erga Sedem Apostolicam ostendatur amor ac devotio, tum praecipue ut lectori innotescat, quot et quantas Honorii auctoritatem invocandi occasiones habuerint haeretici, licet earum usi sint prorsus nulla.

Accusatus itaque coram Constantinopolitano Senatu per varios viros, ad verba Gregorii, qui post alios tres testes quarto loco testimonium contra eum dixerat, haec respondit:

Hic dominus meus Gregorius veniens Romam dignatus est venire ad cellulam servi vestri. Quo viso, sicuti moris est mihi, projeci meipsum in terram et adoravi eum et osculatus sum et dixi ei post sessionem: Quae causa est desiderabilis adventus domini mei? At ille, Bonus, inquit, et a Deo confortatus dominator noster, sollicitudinem habens pacis sanctarum Dei Ecclesiarum, jussionem fecit ad divinitus honoratum Papam, missa etiam oblatione ad S. Petrum, hortatus est eum, quo se praesuli Constantinopolitano uniret, quae mitti per mediocritatem meam dignatum est pium ejus imperium. Et dixi: Gloria Deo, qui fecit te dignum hujusmodi ministerio; verumtamen sub quo fieri modo unitatem a Deo coronata ejus jussit tranquillitas, si nosti? Et dixisti: Sub Typo. Et dixi: Impossibile, ut opinor, est hoc; NON ENIM PATIUNTUR ROMANI AUFERRI, UNA CUM IMPURIS HAERETICORUM VOCIBUS, SANCTORUM PATRUM LUCIFERAS VOCES, VEL SIMUL CUM MENDACIO VERITATEM EXTINGUI, AUT CUM TENEBRIS LUMEN PARITER DISSIPARI.

Ad eum, in carcerem reductum, eadem die venerunt Troilus patricius et Sergius Eucratas, post alia pauca eum ita interrogantes:

Quid facies, cum Romani uniti Byzantiis fuerint? Ecce enim heri venerunt apocrisiarii Romani, et cras, dominico die, communicabunt Patriarchae, ac per hoc omnibus manifestum fit, quod tu subverteris Romanos: denique, te illinc ablato, mox consenserunt his, qui hic sunt.

S. Maximus. Hi qui venere, praejudicium quoquo modo Sedi Romanae, quamvis communicent, eo quod non detulerint ad Patriarcham epistolam, non faciunt, ET NON CREDO ALIQUANDO QUOD ROMANI UNIANTUR ISTIS, NISI CONFESSI FUERINT, Dominum nostrum et Deum secundum utrumque eorum, ex quibus est et quae est, esse, et natura voluntarium et operatorium habere salutis nostrae.

Ad legatos Pontificios Troilus et Sergius provocant, ad ipsum Honorium Pontificem non provocant. Qua de causa dicere omittunt, Constantis Typum ex ipss Honorii verbis esse desumptum? Quare ad Honorii verba non appellant, sed totum Constanti Imperatori ac pacis studioso illius animo tribuunt? Nam, »Ne contristes Imperatorem," ita respondent, »qui propter pacem tantummodo fecit Typum: non »in ademptionem cujusquam eorum, quae in Christo »intelliguntur, sed ad pacem silentium vocum, quae »faciebant dissensionem, dispensans." Quo responso audito »projiciens se Dei servus in terram cum lacry»mis dixit: Non debuerat contristari benignus et »pius dominus adversus humilitatem meam; non enim »possum contristare Deum, tacens quae ipse nos »loqui et confiteri praecepit."

Paucis rursum interjectis iterum interrogavit :

Troilus. Bonum est, quia pii *dominatoris nostri opinio* injuriis laceratur?

Maximus. Deus ignoscat his, qui dominatori facere Typum persuaserunt, et his, qui permiserunt.

Troilus. Qui sunt, qui persuaserunt? et qui sunt, qui permiserunt?

Maximus. Hi, qui erant Ecclesiae, suaserunt, et principes permiserunt. Et ecce sordes a sordentibus in insontem et omni haeresi purum excussa est. Sed consilium date, ut faciat, quod fecit piae memoriae quondam avus ejus [Heraclius]. Ille quippe sentiens, quod in vituperium ejus in Occidente quidam prorumperent, per epistolam liberum se fecit ab Ecclesiae quaerimonia, scribens: Ecthesis, inquit, non est mea: neque enim ego vel dictavi, vel jussi ut fieret..... Hanc fecit jussionem ad beatum Joannem Papam, condemnantem Ecthesin in his, quae scripserat tunc ad Pyrrhum; et ex eo tempore ubique Sergii esse dicitur Ecthesis. Hoc faciat et is, qui pie in nobis imperat, et permanebit omnino intemerata ab omni reprehensione opinio ejus [1]).

DE HONORIO NE VERBUM QUIDEM!

Anno proxime sequenti 656 haeretici rursus conati sunt, ut S. Maximum, senem plus quam septuagenarium Bizyam in exilium missum, ad deficiendum a fide haeresimque amplectendam inducerent. Theodosius enim, Caesareae Bithyniae Episcopus, nomine Petri Patriarchae Constantinopolitani hunc in finem Bizyam veniens, coram consulibus Paulo et Theo-

---

1) *Relatio factae motionis inter domnum Maximum monachum et socium ejus, coram Principibus in Secretario;* Labbe VI, 433.

dosio ab Imperatore ad Maximum directis, cum sancto Abbate novam habuit de fide disceptationem, ex qua sequentia depromimus.

Theodosius. Per Deum, qui me judicaturus est, et quando factus est dixi et nunc idipsum dico, quia male et ad laesionem multorum factus est Typus. Verum occasio facta est, ut exponeretur alterna lis orthodoxorum super operationibus et voluntatibus altercantium: et ut omnes pace mutua fruerentur, consideraverunt quidam hujusmodi voces silentio comprimendas.

Maximus. Et quis fidelium suscepit dispensationem, taceri facientem voces, quas dici per apostolos et prophetas atque doctores Deus omnium dispensavit? Et inspiciamus, domine magne, in quod malum deveniat tractatum capitulum istud..... Igitur qui pariter cum scelestis et immundis haereticis sanctos ejecit (suscipite me dicentem veritatem), Deum liquido cum diabolo pariter condemnavit..... Jubetis, ut haec scripta in libro cordis mei habens, ingrediar et *communicem in Ecclesia in qua haec praedicantur*, et fiam communicator eorum, qui veraciter quidem Deum, falso vero diabolum cum Deo ejiciunt? Ne fiat mihi a Deo, qui propter me secundum me factus est absque peccato. (Et genu flexo dixit): Quidquid jusseritis in servum vestrum facere, facite. Ego his, qui haec recipiunt, numquam communicabo. (Et ceu gelidi facti super his, quae dicta fuerant, deorsum capita summittentes, siluerunt per multam horam, et annuens atque abbatem Maximum intuitus dixit:)

Theodosius. Nos fide dicimus tibi dominum nostrum Imperatorem, quod *te communicante* tollat Typum.

Maximus. Multum adhuc distamus ab invicem. Quid faciemus de confirmata synodice voce unius voluntatis in ejectionem omnis operationis a Sergio, Pyrrho, ac Paulo?

Theodosius. Illa charta deposita est et projecta.

Maximus. Deposita est ex lapideis parietibus, non tamen ex intellectualibus animabus; SUSCIPIANT DAMNATIONEM HORUM, QUAE ROMAE SYNODICE PROLATA EST per pia dogmata seu regulas, et solvitur medius paries atque hortatione non indigebimus.

Theodosius. Non est firmata Synodus, quae Romae celebrata est, *quoniam sine jussione facta est Imperatoris.*

Vana haec Theodosii objectio per responsum, quod dedit Maximus, tota destruitur. Sed QUARE, quaeso, NON POTIUS HONORII AUCTORITATEM OPPOSUIT THEODOSIUS? Ita porro post pauca pergit

Theodosius. Quid ergo, penitus non recipis unam operationem?

Maximus. Et quis dicit unam operationem ex probabilibus magistris Ecclesiae? (Et attulit Theodosius scripta, quae falso ab eis ferebantur esse sanctorum Julii Romani et miraculorum factoris Gregorii atque Athanasii testimonia, et legit ea.) Et dixit Maximus: Timeamus nunc Deum et ne velimus irritare illum in haereticorum prolatione testimoniorum. *Nullus enim ignorat, haec impii esse Apollinarii.....*(Et profert idem Episcopus Theodosius sub nomine Chrysostomi duo testimonia, quae agnoscens)

Abbas Maximus ait: *Haec Nestorii sunt,* qui personalem in Christo dualitatem vesane dogmatizavit. (Et statim furore fervescens)

Theodosius dixit: Domine monache, Satanas locutus est per effrenatum os tuum.

Maximus. Ne tristetur dominus meus contra servum suum. (Et mox sumens ostendit ei, easdem voces esse Nestorii, et in quibus sermonibus ejus jacerent.)

Theodosius. Deus novit, frater, HAEC TESTIMONIA PATRIARCHA MIHI DEDIT [1]).

1) *Collatio S. Maximi cum Theodosio*; ibid. 475—477.

Igitur per falsa etiam testimonia S. Maximum corrumpere Petrus Patriarcha conatus est; QUARE NON POTIUS PER HONORII LITERAS, QUAS IN SUAE ECCLESIAE TABULARIO PRAE MANIBUS HABEBAT?

Paucis diebus post hanc disputationem praeterlapsis, jussu Imperatoris »cum honore multo atque »blanditie, tam propter senectam et infirmitatem, »quam eo quod sit a progenitoribus noster, fuerit»que illis honorabilis" (ita habebat jussio), S. Maximus a Bizya ad monasterium S. Theodori, »quod »rejacet juxta Regium", deportatus est, ubi accedens ad eum novus tentator, Epiphanius patricius, ita eum allocutus est:

Hoc tibi per nos significat Imperator, dicens: Quoniam totus Occidens, et qui in Oriente subversiones operantur, *ad te spectant*, et omnes *propter te* simultates exagitant, nolentes convenire nobiscum in causa fidei. Deus compungi te faciat, ut communices nobiscum in Typo, qui expositus est a nobis, et exibimus per nos ipsos ad Chalem et osculabimur te et supponemus vobis manum nostram, cumque omni honore ac gloria introducemus vos in magnam ecclesiam et cum nobis ipsis sistemus, ubi ex more Imperatores stant et faciemus pariter synaxin et participabimur intemeratorum et vivificorum Sacramentorum vivifici corporis et sanguinis Christi et praedicabimus te denuo patrem nostrum, fietque gaudium non modo amatrici Christi et regiae urbi nostrae, sed et in toto terrarum orbe. Scimus enim certissime, quod te communicante sancto huic throno, sancti uniantur nobis, qui propter te tuumque magisterium se a communione nostra sciderunt [1]).

1) Ibid. 483.

Nonne S. Maximus, per fraudes et falsa testimonia, per blanditias dulcesque sermones, per poenarum demum comminationem atque inflictionem tentatus (nam lingua et dextra amputatis vitam in exilio finivit anno 662, die decima tertia mensis Augusti, quo die ipsum colit Ecclesia), nonne Apostolicae Sedi Romanae addictissimus semper fuit? Quae ergo causa est, quod haeretici sola Honorii verba omiserint, atque, ad eum tentandum, unius hujus Pontificis auctoritatem non opposuerint? Nonne ex strictissimo Monothelitarum silentio, hisce in rerum adjunctis de Honorii literis servato, abunde patet, eas literas tunc temporis ab ipsis invocari non potuisse, utpote nondum corruptas?

QUINTUM ARGUMENTUM: VERBA AGATHONIS SUMMI PONTIFICIS, EJUSQUE CONCILII ROMANI.

Per totum illud, quod a condemnato Typo usque ad sextum Generale Concilium decurrit, temporis spatium nulla prorsus Honorii fit mentio, nisi in sola ea Constantini Pogonati epistola, in qua, ut Synodum congregaret, a Domno Papa enixe postulabat. In ea epistola haec leguntur: »Honorium »memorari in Diptychis, propter honorem Apostolicae Sedis antiquae nostrae Romae"; non vero memorari Patriarchas, »qui postmodum fuerunt in »praedicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio »et satisfactio proveniat verborum, de quibus con»tenditur inter utrasque Sedes" [1]. Quae verba ne

1) Labbe VI, 598.

sententiae nostrae adversari videantur, animadvertere debemus, duplicem quidem afferri posse causam, cur Honorii potius quam successorum ejus memoriam Diptychorum honore dignam existimaverint Monothelitae. Primo enim Honorius obsecrando tantum ac rogando, successores ejus damnando et sententiam ferendo haeresi restiterant. Deinde per ea, quae *de Christi una voluntate* dixerat verba, quaeque male intellexerant haeretici, ansam dederat Honorius, ut inter sectae suae patronos eum annumerarent.

Sed in eadem Imperatoris epistola alia occurrunt notatu digna verba, quae sententiam nostram non parum confirmant. Narrat enim Imperator, cum Theodoro Constantinopolitanae et Macario Antiochenae Sedis Patriarchis (quorum iste per sextum Concilium propter haeresim depositus, ille, similiter Monothelita, per Imperatorem Concilio nondum congregato a Sede dejectus, postea vero in eam restitutus fuit) pacis restituendae causa se egisse, eosque Pontifices de contentionis, quae Romanam Sedem inter et Constantinopolitanam exsisteret, causa interrogatos hoc ipsi responsum dedisse: »Quod verba quaedam »novitatis intromissa sunt..... et quia, *ex quo haec* »*verba moveri coeperunt* et usque hactenus *utraque* »*Sedes inter se minime convenerunt*" [1]); ex quibus verbis apparet, eundem illum Macarium, a quo in sexta Synodo orta fuit Honorii accusatio, eo, quo

---

1) Ibid. 595.

haec respondebat, tempore Honorium habuisse vere Catholicum ac Monothelismi adversarium.

Praedictam Imperatoris epistolam, Domno Papa interea mortuo, recepit successor ejus Agatho, qui, re in Synodo Romana prius deliberata, Imperatoris votis annuens, duplicem, alteram solo suo, alteram suo et Romanae Synodi nomine, legationem cum duplici itidem epistola sive instructione misit Constantinopolim. Verum ut argumenti, quod ex utriusque epistolae verbis conficietur, vis melius intelligatur, in memoriam revocare juvat, argumentum illud proprie tertii supra expositi argumenti esse complementum, quum ex eo demonstrandum sit, NULLO UMQUAM, QUOD SEXTUM CONCILIUM PRAECEDIT, TEMPORE, pro damnato suo Typo a Monothelitis invocatas esse Honorii literas.

Haec itaque in priori epistola, de S. Petro Apostolo loquens, ait Agatho:

Cujus annitente praesidio, haec Apostolica ejus Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiae Christi luminaria claruerunt: et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, haeretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti.....

Haec est enim verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit haec spiritalis mater vestri tranquillissimi imperii, Apostolica Christi

Ecclesia: quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed, ut ab exordio fidei Christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: *Petre, Petre*, inquiens, *ecce Satan expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod *Apostolicos Pontifices*, meae exiguitatis *praedecessores*, CONFIDENTER fecisse SEMPER, cunctis est cognitum: quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. Vae enim mihi erit, si veritatem Domini mei, QUAM ILLI SINCERITER PRAEDICARUNT, praedicare neglexero. Vae mihi erit, SI SILENTIO TEXERO VERITATEM, quam erogare nummulariis jussus sum, id est, Christianum populum imbuere et docere [1]).

Paucis in eadem epistola interjectis, ait:

Unde et Apostolicae memoriae meae parvitatis *praedecessores*, Dominicis doctrinis instructi, EX QUO novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanae Ecclesiae praesules introducere conabantur, NUMQUAM NEGLEXERUNT eos hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore, saltem tacendo, desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiae facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno D. N. J. C. [2]).

---

1) Ibid. 636,
2) Ibid. 637.

Verba haec: *saltem tacendo desisterent*, Agatho Papa ex communi, quae Romae viguisse videtur sententia, quod Papa Honorius a Sergio et Cyro expostulasset, ut de nova, quam profitebantur, doctrina saltem silentium observarent, ad istum praedecessorem suum retulisse, non immerito conjicitur.

Sed eadem epistola circa finem haec quoque habet:

Evangelicam atque Apostolicam orthodoxae fidei rectitudinem, quae fundata est super firmam petram hujus beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiae, QUAE EJUS GRATIA ATQUE PRAESIDIO AB OMNI ERRORE ILLIBATA PERMANET, omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum unanimiter, ad placendum Deo animamque salvandam, veritatis formulam Apostolicae traditionis nobiscum confiteatur et praedicet. Haec autem nostrae humillimae suggestioni innectere curavimus,.... non invido (sicut Deus testis est) animo, neque per elationem jactantiae, neque per contentionis adversitatem, neque inaniter eorum doctrinam cupientes reprehendere, neque quamlibet quis suspicetur humanae delectationis arrogantiam, sed pro ipsius veritatis, in qua salvari nos confidimus, rectitudine et pro ipsius purae evangelicae confessionis regula, pro salute videlicet animarum, ac reipublicae Christianae stabilitate, pro sospitate Romani Imperii gubernacula dispensantium, meae humilitatis *Apostolicos praedecessores* COMMONUISSE, ROGASSE, INCREPASSE, OBSECRASSE, ARGUISSE ET OMNEM MODUM EXHORTATIONIS EXERCUISSE, quatenus medelam possit recens vulnus accipere. Nec post inoliti erroris diuturnitatem a commonitione siluerunt — [*ad erroris igitur exordia referenda sunt praecedentis periodi verba*] — sed SEMPER hortati sunt ac contestati; et hoc ex fraterna charitate, non per malitiam vel pertinaciam odiosam [1]).

---

1) Ibid. 672.

Sin autem [denique ait Pontifex], quod porro longe sit, novitatem nuper ab aliis introductam amplecti maluerit [scilicet, Patriarcha Constantinopolitanus] et alienis a regula veritatis orthodoxae atque Apostolicae nostrae fidei sese irretire doctrinis, quam, utpote animabus noxiam, declinare, INDESINENTER AB APOSTOLICIS MEAE HUMILITATIS PRAEDECESSORIBUS EXHORTATI ATQUE COMMONITI, usque adhuc distulerunt, ipse noverit, quid de tali contemptu in divino Christi examine satisfaciet apud judicem omnium, qui in coelis est [1]).

Ex altera, quae et Agathonis Papae et Romani Concilii nomine conscripta est epistola, haec proferimus.

In hoc enim TAM APOSTOLICAE SEDIS quamque nostri exigui famulatus praedecessores usque adhuc non sine periculis desudarunt, nunc decretali commonitione cum Apostolicis Pontificibus consulentes, nunc synodali definitione, quae veritatis regula continebat, omnibus innotescentes, et terminos, quos transgredi nefas est, usque ad animae ipsius exitum constanter defendentes: NON SEDUCTI BLANDITIIS, non periculis territi, ut illam in Evangeliis Domini nostri sententiam OPERIBUS DEMONSTRARENT, qua sententialiter praecipit, dicens: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor illum coram Patre meo, qui in coelis est.....* Haec est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicae atque Apostolicae fidei, QUOS USQUE ADHUC APOSTOLICA SEDES NOBISCUM ET TENET ET TRADIT, tota mentis custodia servemus [2]).

Hic jam ab eo, qui verba laudata et attente legit et diligenter perpendit, quaerere audemus: si ullo

1) Ibid. 676.
2) Ibid. 680, 681.

umquam tempore aut ulla quavis occasione sive affirmassent sive objecissent Monothelitae, illud ipsum de Christi operationibus silentium, quod sancta Sedes in Typo damnasset, indictum fuisse ab ipso Honorio: num Papa Agatho, idque verbis aeque fortiter et saepe repetitis, illibatam Apostolicae Sedis fidem ipsis opponere et, nulla Honorii nec exceptione nec excusatione quinimo nec mentione facta, de praedecessoribus suis, tamquam haeresi jam a primo exordio adversariis, gloriari potuisset? Et si idem ille Pontifex, haereticorum, nunc Ectheseos, nunc Typi, nunc aliam rursus doctrinam profitentium ac tum inter se tum secummetipsis continuo pugnantium inconstantiam alio prioris epistolae loco redarguens [1]), neque Honorii neque ejus, quae inter Honorii et S. Martini verba consistat, pugnae ne meminit quidem: nonne ista agendi ratione certos nos reddit, pugnam illam, quippe quae non adesset, ab haereticis numquam esse objectam? praesertim quum ejus epistola recitanda esset in Concilio Constantinopolitano, ad quod convocati fuerant et Monothelitae, iique acerrimi? Confirmantur haec omnia per verba, ab Agathonis legatis in ipso Concilii limine prolata: »Ante hos XLVI plus minus »annos", inquiunt, »quasdam novitates vocum..... »introduxerunt, qui pro tempore fuerunt praesules »hujus regiae et a Deo conservandae vestrae civitatis, »id est, Sergius, Paulus, Pyrrhus et Petrus, nec

1) Ibid. 669.

»non et Cyrus quondam Alexandriae civitatis antistes, »insuper et Theodorus, qui fuit Episcopus civi»tatis, cujus vocabulum est Pharan, et alii quidam, »qui eos secuti sunt.... multoties servili vestra, quae »secundum nos est, Apostolica Sede de hac repul»sante, dehinc supplicante et minime valente usque »hactenus a tali sensu pravae aestimationis eos abstra»here" [1]).

Ex praedictis ita concludimus. Haereticos nullo umquam tempore pro damnato suo Typo Honorii auctoritatem invocasse, Agathonis Papae verba invictissime ostendunt. Atqui si verba, Typi verbis similia, umquam scripsisset, ea, ut supra demonstratum est, non invocare non potuissent haeretici. Verba igitur, Typo similia, quae literis ejus nunc continentur, non scripsisse dicendus est Honorius.

---

1) Ibid. 610, 611.

CAPUT QUARTUM.

De Sexta Synodo.

Expedit ut, antequam Sextae Synodi acta enarremus, ea, quae sive diximus sive probavimus, breviter ac temporum ordine servato repetamus.

Anno Domini 634 Honorius priorem ad Sergium scribit epistolam.

Anno 636 Sergius a se confectam Heraclio Imperatori offert Ecthesin, quae tamen, vivente Honorio, publice non promulgatur.

Anno 638, mense Octobri, Honorius moritur.

Anno 639 promulgatur Ecthesis; legati Romani Constantinopolim missi, ut Severini Papae, in Honorii locum electi, confirmationem ab Imperatore impetrent, quantumvis ad hoc sollicitati, renuunt pro Severino spondere, Pontificem illum Ecthesin esse approbaturum. Romae interim clerici primates in exilium conjiciuntur, episcopii Lateranensis fit depraedatio, pars spoliorum Constantinopolim mittitur, postmodum Severinus ordinatur.

Anno 641 Severini successor Joannes Papa IV Pyrrhum Constantinopolitanum, Honorii auctoritatem pro haeretica unicae Christi voluntatis doctrina invo-

cantem, scripta ad Constantinum Imperatorem apologia, refellit.

Anno 645 Pyrrhus, in Africa disputans cum S. Maximo et Honorium unam tantum Domini admisisse voluntatem denuo affirmans, a S. Maximo confutatur.

Anno 646 Pyrrho suffectus Paulus Patriarcha, in ea, quam ad Theodorum Papam misit, epistola, eumdem de Christi voluntate errorem Honorio adscribit.

Anno 648 Constans Imperator sublatae Ecthesi substituit Typum, quo de Christi voluntatibus et operationibus silentium indicitur.

Anno 649 S. Martinus Papa, Typum ob praescriptum in eo silentium in Synodo Lateranensi condemnans, conamina, quae, Honorio non excepto, praedecessores suos adversus haeresim adhibuisse testatur, summis laudibus extollit. In eadem Synodo, Stephanus, Dorensis Episcopus, qui adjurante Sophronio de haereticorum fraudibus certiorem reddiderat Honorium, Typum reprobans, S. Martini praecessores, Honorio similiter non excepto, a Deo excitatos dicit »in commonitione necnon contestatione" haereticorum.

Per totum illud, quod a Typo damnato usque ad celebratum sextum Generale Concilium decurrit, temporis spatium Honorii auctoritas in Typi gratiam a Monothelitis non invocatur, neque a Paulo et Pyrrho, qui eam pro Ecthesi invocaverant, neque a Pyrrhi successore Petro, neque ab ullo quocumque haeretico. S. Maximum et blanditiis quidem et

terroribus et cruciatibus et falsis, quae afferebant, Patrum testimoniis, ad amplectandum Typum inducere conantur; sed Honorii verba, quae idem illud, quod in Typô condemnatum est, silentium continere perhibentur, ei non objiciunt.

Anno 680 Agatho Papa, scribens ad Imperatorem, de invicta, qua praedecessores Romani Pontifices haereticis restiterint, fidei fortitudine plurimum gloriatur.

Monothelismi igitur historia testatur, Honorium, per quadraginta post obitum ejus annos, nec ab haereticis accusatum nec a Catholicis vindicatum fuisse *dé silentio circa Christi operatione indicto*. Si quis igitur, post tantum temporis lapsum, literas in medium proferat, quae et Honorium revera silentium indixisse et Stephanum Dorensem, Sophronii nomine, idem silentium »instantissime" promisisse, apertis verbis enunciant: nonne, priusquam eas literas et authenticas et incorruptas habeamus, jure merito inquirimus, quis tandem fuerit is, qui literas illas repererit, utrum fide dignus sit, ex quo fonte hauserit et cetera id genus? Sique, examine de iis omnibus instituto, luce clarius apparet, et eum qui literas detexit, et locum, e quo eae prodierunt, valde esse suspectos: nonne jure inde concludimus, nec literarum detectorem nec ipsas, quas in medium protulit, literas ullam quidem fidem mereri? Videamus igitur, quid de Macario, quid de tabulario Constantinopolitano acta sextae Synodi nos edoceant. Nam Honorii literae a Macario in lucem protractae sunt et in praedicta bibliotheca inventae.

Macarius itaque, Patriarcha Antiochenus, ob causam ipsi, ut patebit, optime cognitam, ab Imperatore petiit, ut Oecumenicorum Conciliorum libri, quibus doctrinam suam confirmaret, coram Concilio praelegerentur. Recitatis proinde in sessione prima et secunda tertii quartique Concilii libris, in sessione tertia quinti Concilii libri prolati sunt.

Constantinus [ita acta habent], piissimus Imperator dixit: Praesens Antiochus, religiosus lector et notarius, suscipiens librum relegat. Et accipiens, aperiensque eundem librum, exorsus est principium praedicti libri, qui ita continebat: *Sermo sanctae memoriae Mennae Archiepiscopi Constantinopoleos ad Vigilium beatissimum Papam Romanum de eo, quod una sit Christi voluntas.*

Et exsurgentes legati Apostolicae Sedis Romae exclamaverunt: Piissime domine, falsatus est praesens liber quintae Synodi: nequaquam relegatur sermo, qui dicitur Mennae ad Vigilium, quia fictus est: sed jube diligenter advertere praesentem librum: satisfieri enim habet piissimum vestrum imperium, quia non est tunc temporis positus in exordio, cum fierent acta in sancta quinta Synodo, iste qui dicitur sermo Mennae ad Vigilium, sed nuper appositus est in principiis praesentis libri, eo quod vigesimo primo anno Justiniani divinae memoriae obiit Mennas; quinta autem Synodus vigesimo septimo anno imperii ejus congregata est, Episcopatum tenente hujus regiae urbis Eutychio venerabilis memoriae.

Et inspicientes tam piissimus Imperator una cum gloriosissimis judicibus et quibusdam ex sancta Synodo Deo amabilibus Episcopis, et aperientes ac discernentes invenerunt *tres quaterniones in principio libri additos*, non habentes subnotationem numeri, qui secundum consuetudinem affigitur in quaternionibus, sed in *quarto* quaternione habere *primum* numerum, et in sequenti quaternione secundum, et

tertium ante quartum subsequenter; *alias vero et dissimiles esse literas* eorundem in exordiis submissorum quaternionum, in quibus continebatur sermo, qui dicitur Mennae ad Vigilium, *a literis*, quae prius scriptae sunt in eodem codice.

Constantinus piissimus Imperator dixit: Hujusmodi non relegatur sermo: prooemium autem gestorum ejusdem sanctae quintae Synodi lectio proveniat.

Et accipiens Petrus, religiosus diaconus et notarius sanctissimi Patriarchae Constantinopoleos, librum relegit. Et dum relegeretur septima actio, *reperti sunt in ea duo libri*, quasi ex nomine Vigilii sanctae memoriae, qui fuit Papa Romanus, unus quidem ad Justinianum piae recordationis quondam Imperatorem, alter vero ad Theodoram piae memoriae quondam Augustam, in quibus continebatur ita: Anathematizamus autem et Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiae, tamquam qui alienus semper exstiterit ab Ecclesiis et sanctis Patribus adversarius, qui non confitetur incarnatum esse Deum Verbum, id est, Christum esse unam subsistentiam et unam personam *et unam operationem*.

Et exsurgentes iterum legati Apostolicae Sedis antiquae Romae, unaque qui cum eis erant Deo amabiles viri, exclamaverunt dicentes: Non faciat Deus, domine, *non dixit Vigilius unam operationem;* falsatus est hic liber, sicut et exordia primi libri praesentis quintae Synodi. Nam, domine, si unam operationem docuit Vigilius, et susceptus est a Synodo, utique *et in definitione* ejusdem sanctae quintae Synodi de una operatione vox habuit [debuit] comprehendi. Dum relecta ergo fuerit, piissime domine, *ipsa definitio*, inveniet dominus omnem veritatem.

Consequenter itaque et secundum ordinem relecto eodem libro usque ad definitionem, ipsaque definitione usque ad finem relecta, NULLO MODO ALIQUID DE UNA OPERATIONE IN EADEM DEFINITIONE INVENTUM EST CONTINERI.

Theodorus et Georgius venerabiles presbyteri et Joannes venerabilis diaconus, legati sanctissimi Papae antiquae

Romae, dixerunt: Petimus a Deo instructam vestram serenitatem, ut tempestive praedictus liber examinetur, ut adinventio, quae in eo facta est, manifestetur.

Constantinus piissimus Imperator dixit: quod postulatum est, in subsequenti proveniat. Praesens vero liber usque ad finem relegatur. Et relectus est [1]).

Praedictum Macarium fraudulentae horum librorum corruptionis conscium fuisse et hanc ob causam eorum recitationem postulasse, mox videbimus; interim vero ad ea, quae sextae Synodi actione octava consequuntur, paullisper attendamus.

Hac enim in sessione recitatas antea Agathonis Papae literas, fidemque ab eo expositam, fere omnes Concilii Patres susceperunt. Sed Theodorus, Melitenus Episcopus, chartulam porrexit recitandam, qua petebatur, ut doctrina de Christi Domini voluntatibus et operationibus non definiretur, atque »ut nullus »ex alterutra parte sub accusatione aut repre»hensione hujus rei causa" fieret. Interrogatus ab Imperatore, quinam essent, »qui cum eo fecerunt »chartulam", respondit, tres esse Episcopos ac septem clericos, quorum quinque Constantinopolitani, duo Antiocheni essent. Hi Antiocheni erant Georgius [2]) et Stephanus, uterque monachus, uterque Macarii discipulus, quorum posterior chartulam porrexerat Episcopo Meliteno. Hi omnes, uno Stephano excepto, Theodori assertionem rejecerunt, dicentes: »Mentitus

1) Labbe VI, 622—626.

2) Ibid. 736; isto loco Georgius ille non nominatur; sed quum nomen ejus inter accusatorum nomina postea semper recurrat, mendum in textum irrepsisse dicendum est.

»est hic adversus nos Theodorus Episcopus Melitenus;..
»parati sumus, nostram orthodoxam fidem confiteri."
Sed suspicione per haec verba nondum satis ablata, injunctum ipsis fuit, ut fidem suam scripto exponerent, eamque jurejurando confirmarent, idque actione decima praestiterunt [1]). Quod utrum candido ac sincero animo fecerint, in dubium non revocamus; sed neque hoc dubitamus, quin Monothelitarum parti, saltem antea, addicti fuerint: quod de quibusdam eorum certo constat [2]), quodque propter Georgium diaconum, Constantinopolitanae ecclesiae CHARTOPHYLACEM, qui inter accusatos septem clericos annumerabatur, non praetereundum videtur silentio.

Hisce obiter ac cursim observatis, videamus, quid, diligentiori inquisitione instituta, de quinti Concilii libris judicaverit Synodus, quasque post latam sententiam detexerit fraudes. Actione itaque decima quarta »Gloriosissimi judices et sanctum Concilium »dixerunt: Oportet duos membranaceos libros sancti »quinti Concilii, qui jam a Georgio Deo amabili »diacono et chartophylace porrecti sunt, ut iterum »ab eo ad medium deducantur, ut scrupulosius »cognoscamus, si, juxta quae memoraverunt locum »repraesentantes Agathonis sanctissimi Papae antiquae »Romae, haec infalsata sunt; similiter autem pro»ferri volumen chartaceum authenticum septimae »actionis praefati sancti quinti Concilii, quatenus

1) Ibid. 733, 736, 737, 841.
2) Ibid. 611, 720.

»etiam consideremus et competenter retractemus, »si immutilatum permansit." Diligenti cum aliis ejusdem quinti Concilii codicibus collatione facta, hanc tulerunt Patres sententiam, quam quidem non minus atque ea, quae post eam secuta sunt, lector veri investigandi cupidus diligenter perpendat.

Haec cognovimus, quemadmodum et affirmant, qui ab Apostolica Sede antiquae Romae sunt, neque facta neque scripta fuisse in tempore memorati sancti quinti Concilii, sed adjectos quidem esse tres quaterniones in primo libro sancti quinti Concilii, in quibus videtur libellus, qui dicitur Mennae. Post haec et in secundo libro circa septimam actionem mutatum quidem fuisse quintumdecimum quaternionem, adjectumque esse quadrifolium non superscriptum ante decimum sextum quaternionem, in quo feruntur duo libri Vigilii, qui dicuntur facti fuisse ad Justinianum et Theodoram divae memoriae, utrisque nullam literam habentibus. Hos vero, qui falsaverunt praefatos duos libros et chartaceum volumen, ex illorum vocabulis malitiose adversus recta dogmata haec interjicientes, eo quod neque in nunc prolatis antiquis et immutilatis libris ejusdem sancti quinti Concilii, neque in chartaceo libro, qui in recenti inventus est apud bibliothecam venerabilis patriarchii, rejacent iidem ipsi libelli, seu Mennae ad Vigilium, sive a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divae memoriae, sed hos fallaciter invenientes insertos, utpote qui diabolica operatione per eos, qui haec falsaverunt, sint complices, chartaceum quidem volumen, quod falsatum est, decernimus cassari in locis, in quibus adjectiones sunt factae; verum libros etiam eos obelis obduci in locis, in quibus depravati sunt et cassari eos. Illos autem, qui falsaverunt, anathemati submitti et nominatim cum eis anathematizari libellum, qui dicitur Mennae

ad Vigilium et duos libellos quasi a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divae memoriae.

Macrobius, reverendissimus Episcopus Seleuciae Isauriae, dixit: Suggero vestrae gloriae et huic sancto atque universali Concilio, quod pervenit ad me liber sancti quinti Concilii, datus mihi a quodam Philippo magistro militum imperialis obsequii. Quem relegens, inveni eum falsatum esse in septima actione. Et interrogans eundem Philippum: „Quia alicui dedisti hunc librum?" dixit mihi: „Quia *Stephano*, discipulo *Macarii*, eum dedi." Literae vero, in quibus falsitas libri facta est, propriae manus Georgii monachi cata Macarium certe sunt. [*Georgii, Macarii discipuli, qui inter accusatos, de quibus supra egimus, occurrit.*] Quia cum esset Patriarcha meus ipse *Macarius*, ingrediebar in domum ejus et aspiciebam eundem *Georgium* monachum saepius scribentem; et scio accurate, quia propriae ejus manus sunt. Peto itaque tam vestram gloriam quamque sanctum Concilium, ut ad medium veniat suprascriptus Georgius monachus et de hoc interrogetur.

Gloriosissimi judices et sanctum Concilium dixerunt: Georgius, religiosus monachus, cujus mentio facta est, in medium veniat. Et ingressus est.

Gloriosissimi judices et sanctum Concilium dixerunt: In medio assistenti Georgio, religioso monacho, praesens liber ostendatur, ut cognoscat, si literae propriae ejus manus sunt, quae post additamentum in sexto folio scriptae sunt.

Georgius, religiosus monachus, intuens in eundem librum, dixit: Hic liber, qui nunc prolatus est a Macrobio sanctissimo Metropolitano Seleuciae mihique ostensus est, Philippi magistri militum imperialis obsequii erat. Ipse autem Philippus vicinus erat de parte *Stephani* [Graece: *vicinus patris Stephani*], qui cecidit cata *Macarium* haereticum. Quando ergo facta est quaestio inter Theodorum, qui fuerat Patriarcha a Deo conservandae hujus regiae urbis,

et praefatum Macarium de fide, tulerunt paria libellorum, qui dicuntur Vigilii, *de patriarchio, sicut dixerunt Macarius et Stephanus*, et scripsimus in quaterniones, et oblati sunt ab eis piissimo nostro principi. Praesumptione autem accepta, qui erant circa Stephanum et Macarium, utpote qui obtulerant principi eosdem quaterniones, unicuique ad eos venienti monstrabant. Idem vero Philippus habuit hunc librum et adduxit eum ad *Stephanum* haereticum, ut eum consideraret, dicens: „Quia veniens „de Occidente adduxi librum quinti Concilii, et vide si „bene habet." Nam hic codex non habuit libellos, qui dicuntur Vigilii. Et dixit ei Stephanus haereticus: „Ut „scias, quia minus habet." Idem ergo Philippus rogavit eum, dicens: „Si quod scis quia deest, imple." Et ipse Stephanus dixit mihi, ut scriberem eosdem libellos. Et scripsi de memoratis exemplaribus et dedi eidem Stephano. Et in veritate haec propriae manus meae sunt et cognosco ea. Non solum autem in hoc libro addiderunt istos, qui dicuntur libelli Vigilii, sed quanticumque libri quinti Concilii ad eos pervenerunt, non habentes libellos, qui dicuntur Vigilii, addiderunt iidem *Macarius* et *Stephanus*. Incidit autem eis et alius Latinus codex quinti Concilii, quem dixerunt sex solidis se comparasse ab uxore, quae fuit quondam Innocentii patricii. De capitulo autem ejusdem Latini libri certissime scit Constantinus, reverendissimus presbyter hujus sanctae magnae Dei ecclesiae et Latinus grammaticus.

Gloriosissimi judices et sancta Synodus dixerunt: Edicat praesens Constantinus, Deo amabilis presbyter et grammaticus Latinus, si verum dicat Georgius, religiosus monachus, de illo libro Latino, cujus mentionem fecit.

Constantinus, Deo amabilis presbyter et grammaticus Latinus, dixit: Scio, domine, temporibus *Pauli quondam Patriarchae* venisse Fortunium, qui fuit Episcopus Carthaginensis, et cum Missas acturus esset in sancta magna Dei ecclesia, quaesitum est, quomodo sedere debuisset,

utrumme ante Metropolitanos, qui hic morabantur, an post eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarcha in bibliotheca patriarchii librum quinti Concilii, ut cognosceret, quomodo sedere debuissent, contigit ut inveniretur et Latinus liber ejusdem Concilii. Et exinde instructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter sedere. Protulit vero eundem librum Latinum de bibliotheca et dixit mihi: „Aspice illum, si secundum chartaceum authenticum volu„men septimae actionis sancti Concilii completum est.“ Et inveni eundem Latinum librum in septima actione minus habentem ad [*ac*] illud volumen chartaceum. Et dixit mihi idem *Paulus Patriarcha:* „Quia assume tecum „Sergium diaconum, qui dicitur Antipisidias, quia bonus „scriptor est; et ostende ei, quomodo debeat literas Lati„nas scribere, et adde quae minus sunt.“ Sunt autem, quae addidimus in eodem Latino libro in septima actione, libelli, qui dicuntur Vigilii Papae Romani, quos et interpretatus sum Latine ex ipso volumine, et, ut dictum est, scripsit ipse Sergius diaconus. Quae vero scripta sunt ab eodem Sergio diacono, qui dicitur Antipisidias, interposuit in eodem Latino libro Theodorus librarius, qui habuit stationem ad sanctum Joannem Phocam. Haec, domini, in veritate scio facta fuisse.

Gloriosissimi judices et sanctum Concilium dixerunt: Praesens Sergius, Deo amabilis diaconus, inaudiens quae a Constantino Deo amabili presbytero et Latino grammatico dicta sunt, quae scit, cum omni veritate prosequatur.

Sergius, Deo amabilis diaconus sanctae magnae Dei Ecclesiae, dixit: Ante hos multos annos [CIRCITER TRIGINTA!] convocavit me *Paulus quondam Patriarcha* Constantinopolitanus et dixit mihi: „Vide quae interpretatur domnus „Constantinus, grammaticus Latinus, ex volumine quinti „Concilii, et scribe in Latinis literis.“ Et haec audiens ab eo, sicut servus et subjectus obedivi et scripsi et dedi ea domno Constantino grammatico et presbytero.

Sanctum Concilium exclamavit: Anathema libro, qui

dicitur Mennae ad Vigilium, et qui eum finxerunt sive scripserunt. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divae memoriae, qui et sunt falsi demonstrati. Anathema simul omnibus qui falsaverunt acta sancti et Universalis quinti Concilii [1]).

Quis, quaeso, tantam tamque exsecrandam suspicari umquam potuisset Monothelitarum fraudem? Et eam fraudem cognitam et perspectam habentes, fidem dabimus Macario, librorum ac codicum corruptori? aut epistolam quandam ea sola de causa germanam atque integram dicemus, quod ex corrupto prodiit Chartophylacio Constantinopolitano. Jamvero Honorii, quae dicuntur, literas quis in lucem protulit? Codicum corruptor Macarius. Quo ex fonte eas hausit? Ex corrupto tabulario Constantinopolitano. Quae si confirmaverimus, quis est, qui affirmare audeat, integras ad nos pervenisse Honorii literas?

Saepius in Concilii actis Macarius consentientem sibi dixisse legitur Honorium. Id jam actione prima egit, quum ita diceret: »Nos quidem vocum novi»tates non edidimus; sed quidquid percepimus tam »a sanctis Universalibus Synodis et sanctis probabi»libus Patribus quamque a praesulibus hujus regiae »urbis, id est, Sergio, Paulo, Pyrrho et Petro, »necnon et Honorio, qui fuit Papa antiquae Romae, »et Cyro, qui fuit Papa Alexandriae, hoc est, de »voluntate et operatione, sic et credidimus et cre»dimus et praedicamus et docemus, et parati sumus

1) Ibid. 976—985.

»de hoc ostendere" [1]). Assertio haec ansam non praebuit vindicandi Honorii, cum statim ac enunciata esset, et Imperator a Macario petisset ut eam Conciliorum sanctorumque Patrum verbis confirmaret, et Macarius id se facturum esse promisisset. Eandem accusationem Macarius denuo protulit actione octava, ubi susceptis a Concilii Patribus Agathonis Papae literis dogmaticis fere solus restitit, iisque haereticam suam tum ore prolatam tum scripto confectam opposuit fidei professionem [2]). Sed neque hac occasione locus erat defendendo Honorio. Quum enim quae in professionis confirmationem Macarius protulerat SS. Patrum testimonia cum authenticis codicibus »in venerabili patriarchio" reconditis conferebantur, Honorii verba inspici atque examinari non poterant, quippe quae, in quantum quidem ex Concilii actis colligi licet, a Macario caeteris Patrum testimoniis non essent inserta.

Octava et nona actione Macario ejusque discipulo Stephano condemnatis, post relectas sessione undecima Sophronii synodicas Legati Pontificii petierunt, »ut quaedam propria scripta, reperta apud Macarium »et Stephanum, quae ab eis ablata sunt et sunt »in chartophylacio venerabilis patriarchii... in me»dium veniant, quatenus quae in eis virtus jaceat, »cognoscatur." Georgius chartophylax, jussu Imperatoris »paululum subegrediens... confestim reversus,

1) Ibid. 611.
2) Ibid. 741 et 749.

»protulit duos chartaceos codices et chartaceum »quaternionem" [1]), quae praedictorum haereticorum opuscula eadem sessione coram Synodo recitata sunt.

Uni ex istis opusculis titulus erat: »Sermo acclamatus »piissimo et pacifico magno Imperatori Constantino, »a Macario Episcopo Theopolitano" [sive Antiocheno]. Qui sermo, »omni pravitate plenus et haereticis in »omnibus consonans" [2]), quamquam in sextae Synodi actis non totus invenitur descriptus, nonnulla tamen, quo magis haeresis Macarii pateret, ex hoc sermone caeterisque ejus opusculis discerpta sunt verba, quibus inter alia haec dixisse legitur: »Honorius Ro»manus unam voluntatem manifestissime praedica»vit" [3]). Sed antequam ipse sermo recitabatur, id est, audita sola ejus inscriptione, Theophanes, presbyter et abbas monasterii Baiarum, Imperatorem affatus dixit: »Piissime domine, extra ordinem fecit Macarius »hunc, qui dicitur atque relegitur quasi prospho»neticus sermo. A sacerdote quippe si factus fuerit »prosphoneticus sermo ad Imperatorem vel histo»ricus, coram Senatu offertur atque relegitur. Prius »autem quam hoc faceret, et in Sardiniam et in »Romam et in alia loca codices faciens, eundem »prosphoneticum sermonem direxit praedictus Maca»rius, quod penitus ad ritum sacerdotalem existit »incongruum." Cui respondens Constantinus Imperator, »Nos quidem", inquit, »prosphoneticum sermonem a

1) Ibid. 900.
2) Ibid. 901.
3) Ibid. 905.

»Macario accepisse nescimus, CHARTULAS AUTEM QUASDAM »OBTULIT NOBIS, QUAE ET SUNT QUAS USQUE HACTENUS NEC »RELEGIMUS, et has in futuro Secretario proferemus, ut »debeat vestra sancta Synodus notitiam earum accipere" [1]). Mirari profecto licet, istas Macarii chartulas, quamquam anno praeterito Imperatori jam oblatas [2]), per tantum temporis spatium ab ipso nondum esse pervolutas; sed non minus miranda sunt, quae in fine undecimae hujus actionis idem Imperator protulit verba: »Quia nostrae reipublicae causis occupamur", ita loquitur, »jubemus Constantinum et Anastasium, »gloriosissimos patricios, Polyeuctum quoque et Petrum, gloriosos exconsules, ex persona nostrae »pietatis cum sancto et Universali vestro Concilio *in »reliquis conventibus* inveniri, postquam praesentis »causae plurima et praecipua capitula coram nostra »pietate jam peracta sunt" [3]). Nam *in reliquis conventibus*, propter recitatas Macarii chartulas, Honorii causa coram Concilio primum coepit agitari.

Actione nempe duodecima memoratae Macarii chartulae, jussu Imperatoris (iterum et nimia profecto cum sollicitudine, »*se eas usque hactenus non re»legisse, sed nec superscriptionem earum*" testantis [4]), ad Synodum delatae, publice coram Concilii Patribus praelegebantur, cum repente, quod nemo umquam suspicatus fuerat, de indicto circa Christi

1) Ibid. 901.
2) Ibid. 936.
3) Ibid. 908.
4) Ibid. 913.

operationes silentio accusatur Honorius. Tertia namque, quam codicum corruptor Imperatori obtulerat, chartula seu potius codex et Sergii ad Honorium et, qualem eam nunc legimus, priorem Honorii ad Sergium continebat epistolam. Quibus praelectis, ita decrevit Concilium: »Oportet ad nos afferri regestá »ac dogmatica scripta, quae exposita sunt a Ser»gio.... seu ab Honorio ad Sergium facta super »praesenti dogmatica quaestione, rejacentia *in sacro »chartophylacio hujus venerabilis patriarchii*, ut »conferantur cum codicibus, qui piissimo domino »nostro principi a Macario oblati sunt et nunc re»lecti"; quae ipsa decreti verba ansam praebere videntur suspicioni, Honorii epistolam tunc temporis Synodi Patribus non fuisse cognitam. Georgius itaque, Ecclesiae Constantinopolitanae chartophylax, paululum egressus ut praedicta scripta afferret, mox reversus regestum protulit, »habens epistolam Sergii.... ad »Honorium, quondam Papam Romanum. Et collata »est cum codice, qui a Macario datus est piissimo »principi; et constitit. Similiter prolata est a Georgio, »Deo amabili diacono et chartophylace, *epistola »authentica Latina Honorii*, quondam Papae Romani, »ad Sergium, quondam Patriarcham Constantinopo»leos, una cum ejus interpretatione; *et collata est »eadem Latina epistola* per Joannem reverendissimum »Episcopum civitatis Portuensis, qui unus exstitit de »Concilio antiquae Romae [i. e. non summi Pontificis, »sed Concilii Romani legatus]; ET CONSTITIT."

Ecce jam alterum fontem, e quo prodiit Honorii,

quae dicitur, epistola: FOEDE CORRUPTUM NEMPE ECCLESIAE CONSTANTINOPOLITANAE TABULARIUM. Et ea sola res, quod corrupti hi duo fontes inter sese convenirent, quodque inter codicem a perfido Macario oblatum et codicem e corrupto tabulario productum nullum esset veri nominis discrimen, ea, inquam, sola Concilii Patribus argumento fuit, auctorem recitatae epistolae vere esse Honorium. CONSTITIT post factam collationem, ajunt, omnemque ulteriorem inquisitionem supervacaneam duxerunt.

Nam cum ii, qui Imperatoris personam gerebant, judices statim post factam codicum collationem a Synodi Patribus expostulassent, ut et de *relectis et* COLLATIS Sergii ac Honorii scriptis et de Sophronii Synodica sententiam suam dicerent, S. Synodus respondit: »De his, quae nobis relecta sunt, tam de »regestis scriptarum a Sergio epistolarum quam et »AUTHENTICA epistola Honorii Latina, ad haec etiam »et de Synodicis Sophronii, quae nobis jam relecta »sunt, *accuratius de eis pertractantes*, futuro Secre»tario [proxima sessione] vobis gloriosissimis, quae «opportuna sunt, dicemus" [1]); in quo responso hoc tantum notamus, quod verba »*Accuratius de eis* »*pertractantes*", intelligi debeant, non de ipsarum epistolarum integritate, sed de doctrina, quam epistolae continebant: idque vel hanc ob causam, quod Honorii epistola, nullo ulteriore examine instituto, simpliciter dicatur AUTHENTICA.

---

1) Ibid. 933—937.

Hisce absolutis, antequam duodecimae actioni finis imponebatur, iidem judices, *ex Imperatoris persona*, Synodum rogaverunt, utrum condemnatus et depositus Patriarcha Macarius, »forsan eo poenitente", in Sedem posset restitui; cui petitioni renuit S. Synodus.

Actione decima tertia sententia lata fuit in Sergium, Pyrrhum, Paulum et Petrum, Constantinopolitanos, Cyrum Alexandrinum et Theodorum Pharanitanum antistites, qui omnes anathemati submittebantur. »Cum his vero", prosequitur Synodus, »simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia simulque »anathematizari praevidimus et Honorium, qui fuerat »Papa antiquae Romae, *eo quod invenimus per scripta,* »*quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus* »*ejus mentem secutus est et impia dogmata confir-* »*mavit*"; quae sententia, in quantum quidem Sergium et Honorium damnabat, placuit judicibus Imperatoris personam gerentibus, displicuit autem, in quantum ceteras quoque damnabat personas; quorum quippe synodica, opuscula dogmatica et epistolas e »venerabili »patriarchio" proferri et coram Concilio recitari oporteret. Huic postulationi cum judices imperatorii instarent, Concilii Patres, quantumvis et propter manifestam virorum haeresim et propter latam jam in eos ab Agathone Papa sententiam, illud supervacaneum et inutile judicarent, Georgio chartophylaci tandem mandarunt, ut eorum quoque scripta conquireret et in medium proferret. Quo facto, scriptisque recitatis, eandem suam sententiam confirmaverunt.

His vero nondum contenti, judices etiam hoc postulaverunt, ut non solum dijudicarentur scripta eorum Patriarcharum, qui post Petrum haereticum in regia urbe subsecuti fuerant, verum etiam quorumcumque Episcoporum, clericorum, monachorum vel laicorum libelli haeretici »secundum judicium sancti Concilii »exterminio contraderentur." Patriarcharum quidem scripta, quae Georgius jam prae manibus habebat, statim sunt praelecta, eaque Catholicae fidei non adversari Synodus judicavit. Libellos vero, »paululum »egressus et post modicum regrediens", Georgius detulit, dicens: »Omnes libellos, professionesque et »ceteras chartas, quae factae sunt, ad praesentem »dogmaticam motionem pertinentes, quaeque inventae »sunt IN CHARTOPHYLACIO VENERABILIS PATRIARCHII, protuli, »in quibus et alteram Latinam epistolam Honorii, qui »fuit Papa Romanus, praeter illam epistolam ejus, quae »jam prolata est, cum ejus interpretatione." Haec epistola, cujus fragmenta tantum Synodi actis inserta sunt, ante ceteros libellos primo loco relecta fuit; utrum autem integra et ab Honorio scripta, an vero per haereticos conficta vel corrupta esset, Concilii Patres ne dubitasse quidem videntur. Et revera, quomodo dubitare potuissent? Nonne ea Latina epistola ex eo loco prodiit, ex quo, ut quaevis dubitandi ratio tolleretur, prodire debebat, nempe ex *chartophylacio venerabilis Patriarchii*, quod quam foede corruptum esset, proxima demum sessione intelligerent? De ea igitur, sicut et de ceteris libellis, hanc in fine sessionis tulerunt sententiam: »Praevidimus, profana et animae

»perniciosa continuo ob perfectum exterminium igne »concremari. *Et combusta sunt*" [1]).

Quae tum de ratione qua, tum de fontibus ex quibus Honorii epistolae in lucem prodierint, hoc in capite enarravimus, ea tantum abest, ut validas, quibus antea earundem corruptionem demonstravimus, destruant rationes, ut eas potius haud parum confirmare videantur. Restat igitur, ut gravissimae, quas inter alios doctissimus Palma sententiae nostrae opposuit, difficultates pro posse a nobis solvantur.

Haec itaque apud dictum auctorem leguntur: »Existimandum omnino est, vere Honorium scripsisse »duas illas epistolas ad Sergium, neque concedi »potest eas fuisse vitiatas. Bartolus [2]) quidem, ut »ceteros omittam, in recensita supra *Apologia pro* »*Honorio*, ex duabus illis epistolis alteram vitiatam, »alteram confictam fuisse judicavit. Sed sententia »ista probari non potest.

»Nam Honorii literae in Concilio sexto coram Legatis »Sedis Apostolicae et Concilii Romani sunt recitatae, »accurata comparatione facta cum exemplo literarum, »quod in Constantinopolitanae Ecclesiae tabulario »exstabat; Legati vero diligentissime functi sunt munere »suo in ea Synodo. Neque passi certe fuissent, aliquid »Pontifici tribui, quod Pontifici non esset tribuen»dum" [3]).

---

1) Ibid. 944—972.

2) Joan. Bapt. Bartolus, quondam Episcopus Feltriensis, dein Archiepiscopus Nazianzeni; scripsit *Apologiam pro Honorio I.*

3) Joan. Bapt. Palma, *Praelectiones hist. eccl.* Tom. II, Parte I, pag. 150 (Romae 1839).

Respondeo 1. Legati diligentissime quidem functi sunt munere suo. Sed, quantum ad rem nostram attinet, quid ex collatione exemplaris, a Macario, quem codicum corruptorem nesciebant, producti, cum exemplari ex bibliotheca Constantinopolitana, cujus corruptio ipsis aeque incognita erat, allato, pro literarum integritate sequi possit, plane non video.

Respondeo 2. Legati Romani eo, quo Honorii causa agebatur, momento, de literarum fide atque integritate ne minime quidem dubitarunt, pene dixerim, dubitare non potuerunt. Notissima enim, utpote saepius ab haereticis objecta, quae Honorius revera scripserat, *de una Christi voluntate* verba iisdem literis continebantur. Quod praeterea ex traditione, quae Romae vigebat, notum erat, Honorium nempe magis obsecrando quam arguendo haereticis *de una Christi operatione* silentium imposuisse, literis in Synodo prolatis contentum conspiciebatur. Verum quidem est, etiam mirum illud Catholicis impositum *de duplici Christi operatione* silentium iisdem hisce literis contineri; sed quomodo dubitari potuissent de integritate hujus moniti, quod contineretur authentica ipsius Honorii epistola Latina? Num fidem denegare potuissent hisce literis authenticis? Sed nonne ex eo tabulario prodierant hae literae,in quo, utpote ad Patriarcham Constantinopolitanum scriptae, et esse et conservari deberent? Nonne ex eo prodierant tabulario, cum cujus codicibus SS. Patrum testimonia, et ab Agathone Papa et a Macario haeretico allegata, collata essent, quin ullus Episcoporum de ejusdem bi-

bliothecae fide dubium quodpiam moverit? Nonne ex eo denique prodierant tabulario, quod quidem valde corruptum esset, sed cujus ingens corruptio, legatis incognita, sessione demum proxime sequenti iis tandem pateret? Ex quibus sequi videtur, legatos Pontificios, haereticorum fraude deceptos, eâ, qua Honorii causa agebatur, sessione corruptas Honorii literas sine ulla dubitatione habuisse germanas atque integras.

Respondeo 3. Dato, non concesso, quod Sedis Apostolicae legati de literarum sive fide sive integritate dubitaverint, dubium illud, nisi validissimis roboratum argumentis, in medium proferre non poterant. Quae enim erat rerum conditio? Si legatos Romanos excipias, ad sextam Oecumenicam Synodum Occidentales fere nulli convenerant Patres; Orientales vero plurimi, iique praecipui, per annos plusquam quadraginta manifeste restiterant Romano Pontifici. Post tam diuturnam, eamque tantam inter Constantinopolitanos praesertim et Romanos contentionem, in urbe tamen Constantinopolitana legati Pontificis honorificentissime ab omnibus suscipiuntur; ipsi hi legati, quin ullus resistat, sacrae Synodo praesunt; literas, quas afferunt, dogmaticas, quibus haeresis ab Agathone damnatur, laudat Concilium, omnes fere Patres amplectuntur; quos Patriarchas et Episcopos Orientales Papa damnaverat, hos ad unum omnes ut haereseos sive auctores sive propagatores damnat atque anathematizat Concilium; pax denique, tamdiu rupta, tandem aliquando inter utramque

Ecclesiam restituta est, cum repente authenticae, uti dicuntur, ipsius Honorii literae e tabulario prodeunt Constantinopolitano. Supponamus itaque hisce in rerum adjunctis dubium quodpiam de literarum fide vel integritate in legatorum mente subortum esse: numquid dubium illud movere poterant, nisi gravissimis fulti rationibus? Eum agendi modum jam sessione tertia secuti fuerant, cum, objectis falsis Vigilii epistolis, *ad quinti Concilii definitionem* ita provocarent, ut harum literarum corruptio luce clarius inde pateret. Sed quae argumenta gravissima afferre poterant in hac Honorii causa? Occidentalem Ecclesiam hujuscemodi epistolas Honorii penitus ignorare? Sed Orientales praesules, nonne ipsas authenticas, uti dicebantur, ipsius Honorii literas, ex ipsius Ecclesiae tabulario prolatas, statim eis opposuissent, Summumque Pontificem ejusque legatos non pacis et veritatis, sed contentionis atque inanis jactantiae studio moveri respondissent? Nonne igitur legati, si merum suum dubium proposuissent, pacem, inter utrasque Ecclesiae partes vix restitutam, in summum iterum adduxissent discrimen? Quod quam parum iis licuerit, nemo profecto est quin perspiciat.

Facile quidem concedo, fieri potuisse, ut legati Romani, cum, post condemnatas Honorii literas, turpes haereticorum fraudes sessione tandem decima quarta detegerent, de literarum, quae damnatae essent, integritate dubitaverint; sed et hoc affirmo, ipsos, quin frustra Ecclesiae pacem perturbarent, ne eo

quidem temporis momento dubium suum proponere potuisse, cum, ex ipsorum quoque consensu, sessione proxime antecedenti, Honorii literae essent combustae.

Alteram difficultatem idem vir doctissimus profert, cum ita prosequitur: »Praeterea certum est, neminem »inter Romanos Pontifices, qui post Concilium sex»tum Ecclesiae praefuerunt, conquestum umquam »fuisse, id in Honorii literis fraude haereticorum »accidisse, licet in promptu haberent Romanae Ec»clesiae tabularium, ex quo facile Monothelitarum »fraudem refellere potuissent, et licet pro sua erga »praedecessorem Pontificem voluntate et pro illo, »quo animabantur, Catholicae causae contra Mono»thelitas studio, id omittere certe non voluissent."

Quae ad hanc difficultatem eliminandam diversis locis supra a nobis jam sunt exposita, hic breviter contrahimus. Successores Romani Pontifices e suae Ecclesiae tabulario haereticorum fraudem refellere non potuerunt, cum in eo tabulario, haereticorum vi direpto, neque Honorii ad Sergium neque Sergii ad Honorium literae exstarent. Id primo ex eo conjicitur, quod nullum amplius vestigium reperiatur eorum, quibus Honorius, teste S. Maximo, haeresi restiterit. Secundo, idem conficimus ex collatis inter sese, tum PUBLICA ad Imperatorem scripta Joannis Papae IV *Apologia pro Honorio*, tum PRIVATA ad Marinum presbyterum data S. Maximi epistola; dum enim S. Maximus argumentatur ex ipsis Honorii verbis ac contextu, Joannes Papa hunc validissimum argumentandi modum negligit: quod profecto non

fecisset, si in promptu habuisset Honorii epistolam. Tertio, id ex actis Concilii Lateranensis confirmatur. Nam Synodus illa prorsus silet non solum de Honorii ad Sergium, verum etiam, quod notatu dignissimum est, de Sergii ad Honorium literis; illudque silentium observat, licet haec Sergii ad Honorium epistola majorem cum damnando Typo haberet similitudinem, quam ejusdem Sergii sive literae ad Cyrum sive acta pro confirmatione Ectheseos, quae tamen utraque, stante Synodo, et praelecta et damnata sunt. Quarto denique ex Anastasio [1]) constat, Honorio vix mortuo, et episcopium Lateranense ab Isacio, Italiae exarcha, direptum, et partem spoliarum missam fuisse Constantinopolim. Qui Isacius, cum idem sit ac ille, *ad quem*, teste Cyro, *destinata fuit Ecthesis, quam debet profiteri Severinus, qui ordinatur in Roma*, a vero non aberrare videmur, si conjicimus, ab eo et Sergii et Honorii literas tunc fuisse surreptas, ut, hisce sublatis, Severinum facilius induceret ad probandam Ecthesin, quam, licet anno **636** jam paratam, publice tamen promulgare Sergius ausus non fuerat nisi anno **639**, hoc est, anno post obitum Honorii, qui Pontifex enascenti errori per suas literas restitisset.

Stabilita itaque, quam de literarum corruptione professi sumus sententia, pauca de ipsis corruptoribus adjicere liceat. Constantinum Pogonatum Imperatorem, *si non fraudis*, saltem *eorum*, *quae in Honorium*

---

1) Aut saltem ex eo auctore, qui Severini Papae vitam conscripsit.

machinabantur haeretici, conscium fuisse, nemo prudens, meo quidem judicio, temere affirmaverit. Per ipsum enim Pontificis epistola ad Synodi notitiam pervenit; chartulas, quae epistolam continebant, quamquam anno jam praeterito a Macario ipsi oblatas, nimia, ideoque suspecta, sollicitudine ipse sese non legisse testatur, idque ipsius nomine deinde affirmat Joannes Patricius; ea ipsa, qua Honorii causa agitari coepit, S. Synodi sessione, princeps ille non aderat, *reipublicae*, ut ajebat, *causis occupatus*, licet altissima pace tunc temporis frueretur respublica; depositus Macarius, ut in Sedem restitueretur, a Synodo expostulat; denique anno 684 ipse Theodorum Monothelitam in Sedem Constantinopolitanam, qua pulsus fuerat, restituit. Sed et clericos nonnullos Constantinopolitanos, ut auctoritatem Pontificiam sive pro sua haeresi invocarent sive haeretica labe macularent, ad hanc fraudem cooperatos fuisse, facile quidem a nobis admittitur. Quod si quis integritatem Georgii chartophylacis, qui ignoratas antea Honorii literas, simul ac petebantur, e tabulario Constantinopolitano proferebat, in dubium se revocare posse existimaret, non ego quidem hanc suspicionem illi in vitium verterem.

Praecipue tamen ac de ipso corruptionis crimine accusandus videtur Macarius, qui, instante quidem Synodi tempore, cum Sergii literis optime convenientem Honorii epistolam Imperatori obtulit, sed, Concilio nondum convocato, ab eodem Imperatore de dissidii causis interrogatus, hoc dedit responsum:

utramque Sedem, Romanam scilicet et Constantinopolitanam, »*ex quo* novitatis verba moveri coeperunt, »*minime inter se convenisse*." Virum istum, quem librorum corruptorem jam novimus, interea temporis Honorii quoque literas interpolasse, sine ulla temeritatis nota et conjicere et affirmare posse mihi videor.

Honorii itaque memoriam pro posse vindicavimus. Variis enim argumentis, ex Monothelismi historia plerumque petitis, hoc demonstrare conati sumus, ea quae de indicto circa Christi operationes silentio in Honorii epistolis legimus, non ab Honorio esse conscripta, sed Monothelitarum fraude hisce addita. Quae argumenta utrum rem nostram revera demonstrent, peritorum judicio disceptandum relinquimus. Nos interim, libello nostro finem imponentes, quae ex Honorii epitaphio desumpta sunt verba, intima animi persuasione repetimus:

TECUM VIRGINITAS AB INCUNABULIS VIXIT,
TECUMQUE VERITAS AD VITAE METAM PERMANET.

FINIS.

INDEX RERUM.